Parvulus annis, mente Senescens
Respuit hilaris, quid quid ab astris
Mentes acriter abstrahit.
Pro redimendo Patre captivo
Missus ùt obses, corde quieto
Nunquàm liberior fuit.
Purpura, Solium, Sceptra, corona,
Commutantur veste Minorum
Isthac sorte beatior.
Virginitatis cultor abundans
Quem candorem (nè orbi pateat)
Fusco tegmine contegit.
Numinis ardor Siculi Regis
Cor clarescens, magis ac ignes
Ætnæi, incineraverat.
Præsul in alma sede Tolosæ
Fulsit, ùt insons Ovium Pastor
Et clemens inopum Pater.
Aulam, mundum, se imò reliquit,
Erro: seipsum totum, miseris
Asservavit egentibus.
Juvenis vitâ, Virtute senex;
Annis brevibus consumatus
Vixit tempora plurima.
Tandem superis connumeratus
Numine fruitur, mundi in ludo
Victor nomine & omine.



ANNO 1216. B. Franciscus Assisij in Conventu Sanctæ Mariæ Angelorum primâ vice celebrat comitia, unde postea ad diversa loca, Regna, & Provincias Fratres dimittit & ablegat.

ANNO 1217. Beatus Franciſcus Fundator & Generalis Religionis celebrat primum Generale Capitulum Aſſiſij, cui ſecundùm Regulam præſedit Dominus Hugolinus Cardinalis Oſtienſis primus Protector Ordinis, ad quod Capitulum ex Univerſis Provinciis ad 5000. Fratrum convenerant, aderat etiam Sanctus P. Dominicus cum ſeptem Sociis, ex hoc Capitulo, quaſi in univerſum orbem dimiſſi fuerunt plurimi Fratres in diverſa Regna & Provincias ad infideles, & Gentiles, aſſignati etiam Provinciales diverſarum Provinciarum, ubi pariter B. P. Franciſcus ex innata humilitate reſignat Prælaturam Generalem, & locò ſui inſtituit Vicarium Generalem Patrem Petrum Cataneum ſuum ſecundum Diſcipulum Virum magni Zeli, & eximiæ Sanctitatis, qui etiam paulo poſt Aſſiſij Sanctiſſimè moritur, & poſt mortem, tot tantíſque cœpit coruſcare miraculis, ut Fratres propter continuum Populi concurſum etiam in ſuis Spiritualibus exercitiis impedirentur, quod Beatus Franciſcus advertens, ad ejus Sepulchrum acceſſit, & ſub obedientiæ præcepto mortuo mandavit ut à faciendis miraculis deſiſteret, quod etiam ſubitò præſtitit. Poſt hujus Obitum B. Franciſcus non volens ipſemet præeſſe Fratribus, conſtituit Vicarium Generalem Patrem Eliam de Tortono, & Ipſe Beatus Pater in Perſona adivit Suldanum Malvidinum cum Socio Fratre Illuminato, quem Suldanum aliàs crudelem, & ferocem, tamen ità ſua humilitate curavit, ut in finæ vitæ ſuæ ad agnitionem veræ fidei pervenerit, & per Fratres Minores baptizatus, ut Catholicus mortuus ſit.

ANNO 1219. Pro Converſione infidelium mittuntur ad Regnum Miramolinum quinque Patres Berardus, Petrus, Accurſius, Adjutus & Otto, quos ſequitur Sanctus Franciſcus cum undecim Socijs, venítque Cyprum, deinde Ptolomaydem, ubi diviſit ſuos.

ANNO 1220. Martyrizantur quinque illi Patres miſsi, Marochij in Affrica, quorum corpora Conimbriam transferuntur, propter hoc Sanctus Antonius tranſiit à Canonicis Regularibus ad Sancti Franciſci inſtitutum, ſperans in hoc ſe obtenturum Martyrium.

ANNO 1221. Celebratur Aſſiſij Capitulum, ubi denuò. P. Elias de Tortono confirmatur Vicarius Generalis, in hoc Capitulo etiam fuit Pater Antonius Bullioni cum ſuo Superiore, quem Pater Gratianus

nus Provincialis Æmiliæ ad ſe receperat, qui poſtea Anno 1232. ante annum completum à ſuo obitu fuerat Sanctorum numero adſcriptus: Hoc anno quoque Sanctus Pater noſter Franciſcus inſtituit Ordinem de Pœnitentia.

ANNO 1222. Pariſiis Ordinem Minorum ingreditur Pater Alexander de Ales publicus Profeſſor ibidem, ſimiliter hoc anno vaſtiſſima Regna Norwegiæ, Daniæ & Sueciæ penetrârunt diſſeminando ubſque Catholicam fidem noſtri primitivi Religioſi.

ANNO 1223. Honorius III. Diplomate confirmat Regulam S. Franciſci Datum Laterani 3tio Calendas Decembris anno octavo.

ANNO 1224. Die 17. Septembris Sancto Patri Franciſco in Monte Alverniæ Sacra ſtigmata ab ipſo Salvatore noſtro in figura Seraphini imprimuntur præſente Fratre Leone Socio.

Eodem Anno Leopoldus Glorioſus Dux Auſtriæ in expeditione Palæſtina exiſtens, & per Italiam rediens, adduxit ſecum Viennam aliquot Fratres Minores, per quos ſumpſit ſuum Principium Provincia Auſtriæ, de quo infrà plura:

ANNO 1226. 4. Octobris Sanctus Pater Franciſcus ad Conventum Sanctæ Mariæ Angelorum moritur cum Fratribus præſentibus, & abſentibus benedixiſſet, poſt cujus mortem Gregorius nonus ſummus Pontifex miſit plurimos Fratres Minores ad partes infidelium pro eorum Converſione.

Gregorius Nonus tunc ſummus Pontifex (utì in colle Paradiſi annotatur) hoc in Porphyrite marmore, aureis inſculptum literis ipſemet concinnavit, & apponi fecit, vel potiùs appoſuit, videlicet:

V. S. C. A.

Franciſci Romani celſa humilitate conſpicui,
Chriſtiani Orbis ſulcimenti, Eccleſiæ Reparatoris,
Corpori nec viventi, nec mortuo,
Chriſti Crucifixi plagarum, clavorûmque inſignibus admirando
novæ ſæturæ collachrymans, lætificans, & exultans,
Juſſu, manu, munificentia poſuit.

Anno Domini M. CC. XXVIII. XVI. Kal. Auguſti.

 Lite-

Literarum quatuor Capitalium ſenſus eſt:

Viri Seraphici Catholici, Apoſtolici.

Dicitur verò Franciſcus Romanus, quia Aſſiſium Romanorum olim fuit inſigne municipium, cujus Cives municipes Romani *ex Sen. Conſ.* ſunt nuncupandi.

Laus Domini DEI Altiſſimi à Sancto Franciſco frequentiſſimè pronuntiata.

TU es Sanctus Dominus DEUS, Tu es DEUS Deorum, qui ſolus facis mirabilia, Tu es fortis, Tu es magnus, Tu es Altiſſimus, Tu es omnipotens, Tu es Pater Sanctus, Rex Cœli, & Terræ, Tu es Trinus & Unus DEUS, Tu es bonus, omne bonum, ſummum bonum, Domine DEUS, unus & verus, Tu es Amator, & Charitas, Tu Sapientia, Tu Humilitas, Tu es Patientia, Tu es Pulchritudo, Tu es Securitas, Tu es quies, Tu es gaudium, Tu es ſpes noſtra, & lætitia, Tu es Juſtitia, & Temperantia, Tu es Fortitudo & Prudentia, Tu es omnes divitiæ ad ſufficiendum, Tu es Manſuetudo, tu es Protector, Tu es Cuſtos, & Defenſor, Tu es Refugium noſtrum, & Virtus, Tu es Fides & Charitas ac ſpes noſtra, Tu es magna dulcedo noſtra, Tu es Bonitas infinita, magnus & admirabilis Dominus DEUS meus Omnipotens, miſericors & Salvator.

Oratio Deſuper.

OMnipotens æterne, Juſte & Miſericors DEUS, da nobis miſeris propter temetipſum facere, quod ſcimus Te velle, & ſemper velle quod Tibi placet, ut interius mundati, & illuminati, & igne Sancti Spiritus accenſi, poſſimus

mus sequi vestigia tui dilectissimi Filii Domini nostri JESU Christi, & ad te altissimum solatium gratia pervenire, qui in Trinitate perfecta, & Unitate simplici vivis regnas, & gloriaris DEUS Omnipotens in Sæcula Sæculorum Amen.

ANNO 1228. 16. Julij Gregorius Nonus Perusij Sanctum P. Franciscum Cathalogo Sanctorum adscripsit. *His itaque præmissis sequitur.*

CAPUT II.

De quibusdam Primævis Patribus in Germaniam ablegatis.

PAter Albertus Pisanus (*ut scribit Arturus* 2da *Septembris* §. 3tio) virtute Prædicationis, quam S. P. Franciscus Pisis sæpius habebat, adscriptus est Anno 1211. militiæ Seraphicæ, hunc cum Fratre Angelo Pisano D. Franciscus Anno 1216. ablegavit in Galliam, indeque in Angliam, ubi Beatus Angelus primus Provincialis Minister factus, Successorem habuit in eodem munere B. Albertum Anno 1219. Hinc evocatus in Germaniam, ab eodem Divo Francisco, suffectus est B. Cæsario Spirensi in Ministrum Provincialem Theutoniæ Anno 1223. Hic videtur inter primos fuisse in Germania Provincialis, à quo Germanico Ministerio tamen absolutus Anno 1227. Tandem Hispaniæ Provincialis electus est, & ad totius Ordinis Generalatum assumptus est Anno 1239. & à Pontifice Max. Gregorio IX. Confirmatus in Capitulo Romæ celebrato. Vir fuit verè probus, & undequaque perfectus, magni Zeli, & virtutis ad res magnas obeundas à natura factus, sed intrà paucos menses consummatus in brevi, explevit tempora multa, diem ultimum claudens Anno 1239. circa Festum Nativitatis Virginis Mariæ, cujus mortem non solùm planxit universus Ordo, sed & ipse Pontifex, qui hominem valde dilexit. Albertus de Pisa in Capitulo Provinciali Spiræ celebrato Anno 1223. divisit crescentem Provinciam Teuthoniæ in sex Custodias, nempè: in Custodiam Franconiæ, Bavariæ, Sueviæ, Alsatiæ, Saxoniæ & Colonienscm. *ità testatur Hueber et Arturus citatus.*

Beatus Joannes de Plano Italus erat, Latini & Lombardici idiomatis Concionator insignis, quem unà cum aliis Sanctis Viris Beatus Cæsarius primus Germaniæ Minister Provincialis delegit Anno 1221. præmisitque Tridentum, postea in Capitulo Augustæ Vindelicorum habito misit Eundem Herbipolim, Wormatiam, Spiram, & Coloniam, ubi sermonibus ad Populum habitis, multos ad pœnitentiam convertit; Item erat Concionator Moguntiæ, Argentorati, & Coloniæ Agripinæ Anno 1223. in Capitulo Provinciali Spiræ celebrato, ab Alberto Pisano, tunc Provinciali Germaniæ secundo electus est Custos Saxoniæ successitque B. Simoni Anglico in Provincialatu Germaniæ Anno 1228. Ex tunc ordinem propagavit in Bohemia, Hungaria (olim & Austria simul Pannonia seu Hungaria continebatur) Dania, Norwegia, Saxonia, Alsatia, Austrasia, Lotharingia &c. Interfuit Capitulo Generali Romano, & Translationi Corporis Beati Francisci Assisij Anno 1230. celebratis At dum B. Joannes Parens Provincialis Minister Hispaniæ assumptus est ad Generalatum; B. Joannes de Plano destinatur Ejus locò in Ministrum Provincialem Hispaniarum, ubi mirâ sanctitate cunctis illuxit. Joannem â Plano Innocentius IV. misit A. 1245. tractandæ pacis causâ inter Christianos & Barbaros Legatum cum Sociis ad Regem Tartarorum, Clarius hanc expeditionem Missionariorum ex Ord. Minor. describit Vincentius Belvacensis *lib. 31. Speculum Historiarum Cap. 2. his verbis*: Hoc etiam tempore misit idem Papa (Innoc. IV.) Fratrem Anselmum de Ordine Prædicatorum, cum tribus alijs Fratribus (Authoritate quâ fungebatur) de diversis Ordinis sui Conventibus sibi associatis cum literis Apostolicis ad Exercitum Tartarorum, in quibus hortabatur eos, ut ab hominum Strage desisterent, & fidei veritatem reciperent; Et ego quidem ab uno Fratrum Prædicatorum, videlicet à Fratre Simone de S. Quintino jam ab illo itinere regresso gesta Tartarorum accepi siquidem eo tempore quidem Frater Ordinis Minorum, videlicet Frater Joannes de Plano Campi, aliàs de Plano Carpi cum quibusdam aliis missus ad Tartaros fuit, qui etiam (ut ipse testatur) per Annum & quatuor Menses &, ampliùs cum eis mansit, & inter eos ambulavit; à summo namque Pontifice mandatum, ut omnia, quæ aqud eos erant diligenter scrutaretur, acceperat; tam ipse, quàm Frater Benedictus Polonus ejusdem Ordinis, qui suæ tribulationis particeps & Socius erat. Et hic ergò Frater Joannes de his,

quæ

quæ apud Tartaros vel oculis propriis vidit, vel à Christianis fide dignis, qui inter illos captivi erant, audivit, Libellum historiarum conscripsit, ità Baronius. De eodem sic scribit Baronius, vel Bzovius *tom. 13. ad Annum Christi 1245. num. 13.* Hoc Anno ex Concilij Lugdunensis decreto ad Imperatorem Tartarorum Innocentius Papa, quatuor ex Sacro Prædicatorum Cætu, duos verò ex Instituto D. Francisci Ordinis Minorum lectos oratores misit, si gens, quæ Domô, horrido cœli cardine torpentísque naturæ solo assueta, imbui posset Christiana pietate, ac ab insita feritate mansueviri, nè vastitatem Orbi terrarum inferret; Prædicatorum Nomina fuêre: Anselmus, Alexander, Simon, Albertus; Minores vocabantur: Fr. Joannes de Plano Carpini, & Fr. Benedictus; Isti omnes quanquam cum magna difficultate terram Barbarorum penetrâssent, & non nullos obices Evangelicæ prædicationi; statim in limine offendissent, cunctis tamen superatis, & immensis laboribus exantlatis, innumerabiles Gentilium Christo adjunxerunt; Itaque cùm in Scythia magnus hominum numerus Evangelium admisisset, paulò post multò plùs illuc operarij destinati, Monasteria multa instituta (itaque ex primis Austriæ Fratribus Sacer Ordo propagatus est in terris Infidelium) deniqùe res Christiana feliciter prorsùs administrata est. Habeo Magneum Auctorem referentem apud Genebrardum, quod D. Ludovico ad Cyprum cum classe Anno 1249. appellenti occurrerint Tartari quidam, ab Erchalmo Principe cum literis missi, ex quibus S. Ludovicus cognovit Chamum Tartarorum Imperatorem Christi fidem Annô ab inde tertio, scilicet: 1246. recepisse, & babtizatum fuisse, cum Magnatum & plebis multitudine maxima.

Pater Anselmus, cùm non contemnendam operam in docendis Tartaris posuisset, cum Fratre Joanne & Benedicto Minoritis, in intima Persidis penetrans, & legatione pro Christo defungens, dum Idololatras ab Idolorum cultu avertit, multis pro Christo perlatis cruciatibus, vitam cum sanguine profudit, duobus Socijs illis Martyribus comitatus; qui et ipsi fidem Christianam cruore effusô illustrârunt.

B. Jacobus de Tarvisio venit cum Alberto Pisano in Germaniam Anno 1223. In Capitulo Provinciali Spiræ celebrato, factus est Custos Alsatiæ, postea in Capitulo Anno 1224. Herbipoli habito institutus est post Joannem à Plano Custos Saxoniæ, ædificavit Conventum & Ecclesiam in honorem SS. Duodecim Apostolorum Magdeburgi; Postquàm verò Ecclesia consecrata fuisset, accidit una dierum infrà octavam Dedica-

dicationis nempè 20. Septembris Anno 1225. Dum summo manè Sacrificium Missæ persolvisset, de repentè omnibus viribus est destitutus, & in Domino requievit; Cùm casus iste tempore matutino contingeret, & Magdeburgensis Archi. Episcopus Albertus adhuc somno indulgeret, vidit in somnis, qualiter anima sui dilecti noti Jacobi, in veste candidissima cœlos peteret, vocémque sibi dici credebat: Vade & Sepeli Eum. Surgens Archi-Episcopus, Pontificalibus induitur, cum Clero ad Monasterium Fratrum Minorum properat, ibique Patrem Jacobum exanimem rapit, quem proindè publicè & honorificè cum Solenni comitatu in noviter exstructo Monasterio deposuit, & sepelivit. *Arturus ait*: Fuisse Conradum Episcopum Hildesheimensem, qui præfatum somnium habebat; Annô verò 1239. 25. Aprilis translata fuerunt ejus ossa ad Conventum veteris Magdeburgi, ubi & honorifico loco sunt recondita.

Martinus de Mediolano in Germaniam cum Alberto Pisano, Jacobo Tarvisino, & Joanne Anglico missus Anno 1223. Electus erat in Capitulo Provinciali Spirensi sub Alberto de Pisis Anno 1223. 8. Septembris celebrato Custos Franconiæ, & erexit Conventum Bambergensem.

Omnes Conventus in Germania erant sub una Provincia ab Anno 1219. cujus Primus Minister erat Cæsarius de Spira; Secundus B. Pater Albertus de Pisa; Tertius erat Simon Anglicus. Quartus B. Joannes de Plano úsque ad Annum 1230. quô Annò in Capitulo Generali sub Joanne Parente divisa fuit Provincia Germaniæ in tres distinctas Provincias scilicet: in Argentoratensem, Rhenanam & Saxonicam.

CAPUT III.

De Origine & Progressu nostræ Provinciæ Austriæ sub Titulo Sancti LEOPOLDI.

ANNO 1224. Prouti notata Antiquiora Conventûs ad Sanctam crucem docent: Leopoldus Dux Austriæ expeditione facta in Palæstina, rediens per Italiam, multa de Sanctitate B. P. nostri Francisci

Francisci audivit, à quo quosdam Patres Ejusdem Socios petijt, & obtinuit, secúmque Viennam adduxit, assignans illis locum in suburbio pro habitatione, quæ defactò ab ipsis possidetur, sed in alia norma extructa, nec amplius extrà Urbem, sed propè mœnia existens, eò quod Urbs successu temporis dilatata fuerit, ex his adductis Patribus erat quidam P. Joannes de Plano Custos Germaniæ, & Saxoniæ, postea Commissarius Generalis Austriæ, Bohemiæ & Hungariæ, similiter Pater Albertus Pisanus, Martinus de Mediolano, & Jacobus de Tarvisio.

Dubitant aliqui num hoc Anno 1224. Dux Austriæ fuerit præfatus LEOPOLDUS, vel FRIDERICUS Secundus.

Desuper respondet Historicus Regis Romanorum Dominus de Wagenfels hoc modo: Non est ullo modo dubitandum, quin LEOPOLDUS hujus Nominis septimus, cognomento Gloriosus Annô Domini 1224. Austriæ præfuerit habuit enim Fratrem unicum Fridericum I. qui Anno Domini 1197. in terram Sanctam expeditionem suscipiens magna contra Saracenos edidit facinora, & secundo suæ expeditionis Anno in Palæstina sinè liberis, & Conjuge defunctus est. LEOPOLDUS igitur eodem Anno id est 1198. in omnem Austriacæ Ditionis Dominatum successit, & Annô 1218. maximo Austriacæ Nobilitatis numero stipatus, in terram Sanctam profectus Damiatam Saracenis eripuit, multísque aliis rebus contra eosdem præclarissimè gestis, salvus & sospes, incredibili cum suorum subditorum gaudio in Patriam reversus est. Annô 1230. ob amorem Imperatoris Friderici Secundi multas rerum vicissitudines à Pontifice Gregorio Nono sentientis in Apuliam profectus est, Eúmque Pontifici felicissimè reconciliavit, sed ubi Christianam Rempublicam morbo tam periculoso liberaverat, ipsemet in gravissimum morbum incidit, cum quo per septimanas aliquas fortiter colluctatus, dicto Anno 1230. adhuc in Apulia existens apud Sanctum Germanum piissimum efflavit Spiritum, pôstquam Styriam Annis 37. Austriam verò, quam post Fratris sui Friderici obitum obtinuerat 31. Annis optimè gubernasset, intestinis ejus in monte Cassino Sepultis, Corpus in Austriam delatum in Cœnobio Campililiorum à se fundato & constructo in Sarcophago, qui hodiè in choro cernitur, conditum fuit. Ex his itaque colligitur Austriacam Provinciam nostram Ordinis Minorum Sancti Francisci antiquissimam, & jam temporibus

Sancti

Sancti Patris nostri Francisci erectam esse, prouti quoque attestantur annales nostræ. Reperimus enim Patrem Joannem Blanchart Lombardum Provincialem Austriæ, & simul Bohemiæ fuisse Anno 1231. sive potiùs Commissarium Generalem (nam primò 1239. factâ primâ Divisione Provinciarum, nostra Provincia Austriæ proprium accepit Provincialem) item constat Provincialem Austriæ præsedisse Capitulo Bohemiæ Anno 1240. atque Eundem 1245. missum fuisse à Reverendissimo Patre Generali in Hungariam. Item Anno 1253. Provincialem Austriæ interfuisse Capitulo Misæ in Bohemia, similiter in Capitulo Znoimæ celebrato Anno 1257. ubi plura loca oblata, à Fratribus Minoribus recipiuntur, inter quæ etiam fuerunt Nissa Fridberga, & Ladislavia, seu Losla; Anno 1260. in Capitulo Generali celebrato à Sancto Bonaventura Narbonæ fit altera distributio Provinciarum, & inter Ultromontanas Austriaca ponitur 4to loco (ubi etiam forma Caputij & Habitûs ordinatur, qualem úsque modo Fratres Minores gestant.) Licèt in quibusdam Provinciis gestetur Caputium magìs protensum, pro majori decentia, & in supplementum palliorum ab alijs Religiosis gestari solitorum. Hic placet apponere pro notitia quo Anno, & à quo nostris Ecclesiis collatum est nomen, puòd vocentur Conventuales, consequenter & nos Fratres Sancti Francisci Minorum Conventualium, & hoc quidem ordinatum est Anno 1249. ab Innocentio IV. Summo Pontifice. *Bulla ejusdem desuper data asservatur in Originali in Sacro nostro Conventu Assisij, quæ sic sonat:*

Innocentius Episcopus Servus Servorum DEI.

Dilectis Filiis Generali, & Provincialibus Ministris ac aliis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum

Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cùm tanquam veri, & fideles Christi Ministri elegeritis vobis in Domo Domini mansiones; dignum esse credimus, ut habitacula vestra inter alias honorabiles Congregationis fidelium statuamus: Hinc est

est igitur, quod vestris Supplicationibus inclinati præsentium auctoritate decernimus, ut Ecclesiæ Vestræ omnes, ubi Conventus existunt, Conventuales vocentur: concedentes vobis nihilominùs, ut in ipsis Ecclesijs ad opus Fratrum, & Conversorum vestrorum habere liberè cœmiteria valeatis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, & Concessionis infringere &c. si quis autem &c. *Dat. Perusij 12. Kal. Sept. Pontif. nostri Anno 10. Subest plumbea pendens Bulla.* Innocentius P.P. IV. Anno 1254. *Ejusdem Pontificis Bulla Titulus sic sonat:*

Innocentius Episcopus Servus Servorum DEI.

Dilectis Filiis Ministro, Custodibus, Guardianis Conventualibus, vel eorum Vicariis administrationis Sancti Francisci.

Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quia tunc &c.

UNde sufficienter colligitur quòd hoc nomen Conventualium, tam nostræ Ecclesiæ, quàm Nos Fratres dum nulla alia Familia Sancti Francisci adhuc extitisset, longè itaque ante omnes ab Innocentio IV. summo Pontifice sortiti simus.

Ut itaque iterùm redeamus ad Descriptionem nostræ Provinciæ Austriacæ, sic sciendum est, quòd hæc Provincia quondam vastissima fuerit in sex Custodias partita, quarum

Prima fuit Viennensis: Sub qua erant Conventus Viennensis, Neostadiensis, Claustro-Neoburgensis, Feldspergensis, & Zisserdorffensis.

Secunda Styriensis: Sub qua Conventus Græcensis, Judeburgensis, Wolffsbergensis, & Muræpontanus.

Tertia Custodia fuit supra Onasum: Sub qua fuit Conventus Passaviensis (ubi Anno 1536. Pater Thomas nostri Conventûs Guardianus factus est Suffraganeus) Lincensis, Welsensis, & Laureacensis.

 Quarta

Quarta fuit Felicensis: Sub Qua Conventus Brixinensis, Villacensis, Bolsanensis, Schwazensis, & Meranensis.

Quinta Danubij Infrà Onasum: Sub qua Conventus Stainensis, Tullnensis, Laaensis, Dirnsteinensis, & Greinensis.

Sexta fuit Marchia: Sub qua Conventus Pettoviensis, Marpurgensis, Ciliensis, & Laybacensis.

QUomodo verò, aut quando diminuta ex una, aut augmentata ex altera parte fuerit, uti in præsenti est, non authenticè constat, nisi quòd Anno 1262. Custodia Moraviæ huic Provinciæ accesserit cum Conventibus Brunensi (cui annexus fuit Vicariatus Bistricensis) Olomucensi, Znoimensi, Iglaviensi, & Vnzoviensi, ità Ordinante B. Patre Bonaventura tunc Ministro Generali, quæ incorporatio Anno sequenti fuit ratificata in Capitulo celebrato Pisis, quam Patres Provinciæ Bohemiæ repetentes An. 1515. denuò per speciale Privilegium fuit attributa Provinciæ Austriæ à Leone X. imò etiam Operâ Reverendissimi Patris nostri Theodorici Kramer Episcopi Neostadiensis, & Provincialis Austriæ Custodia Silesiæ Superioris tunc nostræ Provinciæ adjuncta fuit. Memoratæ autem Custodiæ partim evanuerunt, partim in proprias Provincias commutatæ fuerunt, videlicet: Styriensis, & Marchiæ factæ Provinciæ, nuncupatæ in Constitutionibus nostris Urbanis Provincia Styriæ & Carinthiæ.

Fælicensis Custodia planè sublata est, nec ullum ex memoratis in ea Conventibus Provincia hæc possidet, demptô Meranensi Monialium, qui defactò subest Provinciæ Austriæ, Villacensis autem spectat ad Carinthiam; porrò cæteri per rerum temporúmque vicissitudines adempti & avulsi fuerunt, quo jure, aut injuriâ, non scitur, absque dubio plerúmque occasione Lutheranæ Hæresis quæ circà Annum 1560. suo veneno cunctos quasi Dynastas, Proceres, Optimates, cum omni fermè plebe adeò infecerat, ut de Religione Catholica in his partibus jam actum videretur, & exinde Religiosi promiscuè proscripti, Monasteria diruta, & profanata, Archivia exusta, bona Ecclesiastica direpta, & in sæculares usus commutata fuêre: Ità Religio nostra magnam jacturam passa, in quam (utpotè mendicantem, Romanæque Ecclesiæ constanter adhærentem, tum etiam Leonis X. paulò ante odio non mediocriter labefactatam) majori furore hæretici sævierunt, & prope modum non

tam

tam depresserunt, quàm extinxerunt, cùm Juventus omninò deficeret, quâ ruinæ repleri potuissent; submisit quidem Italia suppetias diversorum Patrum in has partes, per quos tamen in tam iniquis, & turbulentis temporibus vix aliquid plus effectum, quàm Nominis Minoritici conservatio, & aliquorum Conventuum retentio. Respirans tamen Orthodoxa, & Romana Catholica Religio, per supremi Numinis clementiam felicissimis auspiciis gloriosæ memoriæ Piissimi Imperatoris Ferdinandi II. Austriaci, respiravit etiam noster Seraphicus Ordo, cui quoque mox Divina bonitas Viros Zelo in Religione, pietatéque ac prudentiâ in agendis præditos subministravit, qui inique ablata, seriò & solerter recuperare conati sunt, & non solùm multa recuperârunt, & receperunt, verùm etiam novis hinc inde Conventibus competenter fundatis Provinciam ampliaverunt, deperditumque decorem suffragante Divinâ gratiâ restituerunt, adeò, ut pro præsenti Provincia Austriæ inter insigniores, & celebriores aliarum ultra montanarum Provinciarum numeranda sit. Pro nunc in quatuor Custodias divisa est, quarum:

Prima est Austria Inferioris: Sub qua continentur Conventus Viennensis Sanctæ Crucis; Stainensis Sancti Udalrici. Aspernensis, Sancti Pancratii. Novem-Ecclesiensis Beatæ Virginis in Cœlos Assumptæ. Wimpassingensis Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ. Et Tullnensis, quoque Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ.

Secunda Custodia Moraviæ: Sub qua Conventus Brunensis Sancti Joannis. Olomucensis Sancti Jacobi. Iglaviensis Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ & Unzoviensis Sanctæ Crucis.

Tertia Custodia Silesiæ: In qua numerantur Conventus Oppaviensis ad Sanctum Spiritum. Carnoviensis, Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ. Glogoviensis Sancti Patris Francisci. Loslensis Sanctissimæ Trinitatis; & Coslensis Beatæ Mariæ Angelorum, seu Portiunculæ.

Quarta Custodia Superioris Austriæ: Sub qua Conventus Welsensis Beatæ Mariæ Virginis Natæ. Lincensis Beatæ Virginis Mariæ Annuntiatæ Laureacensis Beatæ Mariæ Virginis ad Nives. Et Meranensis Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ.

Monasteria Monialium sunt tria, *nempè*: Meranense jam dictum, Olomucense Sanctæ Claræ; Et Oppaviense Sanctæ Claræ. Antiquitus autem erant Octo, nimirum: Viennense, Græcense, Pulgramense, Meranense, Diernsteinense, Ipsense, Olomucense, & Oppaviense.

Proluſio Lyrici Verſus.

In Laudem Beatæ Virginis MARIÆ in Novem noſtræ Provinciæ Eccleſiis Patronæ.

MItis in Eccleſiis novies Salveto Patrona,
Salve Parens puerpera,
Mater, aveto, DEI.
Virgo, cui roſeis facies depingitur aſtris,
gemmant racemis ubera,
ora fluunt oleo.
Ite mei verſus, deponite vota MARIÆ,
coram MARIA flectite,
& pia vota date.
Ad ſumus, O cœli Nurus, & Regina profecti
oris ab Auſtriacis,
mellea verba damus.
Dulcis ave, pleno ſe cujus Gratia Cornu
effudit intrà Viſcera,
& placuiſſe dedit.
En Dominus tecum! Dominus qui temperat orbem,
Ille, Ille præſentiſſimus,
interiorque tibi.
O Mulier cunctos Tu ſola præibis honores,
inter Beata fœminas,
Sæcula quot tulerant.
Protectrix pia Virgo, novem Cœnobia Serva,
Servato Fratres ſingulos,
ſingula pelle mala.

Sancta

Sancta Dei Mater, precibus tu singula flectis,
precare Natum sedula,
solve reos scelerum.
Nunc, dum vita manet, dum Spiritus hos regit artus,
& cum Suprema proximæ
ingruet hora necis.



CAPUT IV.

EXordimur itáque à prima Custodia Inferioris Austriæ, & quidem à Conventu principali. Anno 1224. LEOPOLDUS Gloriosus Dux Austriæ ex Palæstina expeditione rediens per Italiam, fama Sanctitatis Fratrum Minorum permotus, aliquot Patres ab Ispo Beato Francisco sibi concedi poposcit, & obtinuit, quos secum ducens Viennam, in prædio suo tunc in suburbio sito collocavit, ibidémque ipsis Ecclesiolam unà cum Monasterio erexit, quod suburbium successu temporis cum Urbe dilatata intrà mœnia coaluit: succrescente postea, & ampliata simul Religione, Ecclesiola illa, in grandem & magnificam Basilicam exsurrexit, tota quanta constructa ex vivis, & sectis lapidibus, conspicuis innixa columnis, ità ut amplitudine, altitudine, & claritate post Cathedralem Divo Stephano Sacram, aliis totius Urbis Ecclesiis præemineat, cujus fabricæ primum & fundamentalem lapidem in honorem Sanctæ Crucis posuit Ottocarus Rex Bohemiæ, sed morte præventus opus præmeditatum non perfecit (cujus Cor in eadem Ecclesia, sive potiùs in Capella Sanctæ Catharinæ ad Altare versus portam Hospitalis Anno 1278. repositum fuit, corpus verò in nostra Ecclesia Znoimæ depositum, pòstea à suo Filio Wenceslao Rege Bohemiæ Pragam translatum est) Cujus vices postea supplevit Blanca Philippi III. Regis Galliæ Filia, ut Conjunx Rudolphi III. Archiducis Austriæ, cujus beneficio ejusdem Basilicæ major constructa est pars, in qua etiam Anno 1305. 15. Februarij tumulata fuit in antiquo choro Fratrum, nunc sub Scala Sancta, ubi Ejus Sepulchrum, ad modum elevati

vati

vati feretri, ferreis obductum cratibus cernitur. In Eadem Ecclesia requiescit Elisabetha Romanorum Regina, Jacobi Regis Aragoniæ Filia, & consors Friderici Romanorum Regis sepulta 1330. 20. Julij sub elevato Sepulchro ex marmore porphyretico in choro Sancto Ludovico dicato (ubi antiquior Chorus Fratrum fuit) à quà, & istam partem, seu navem Ecclesiæ in qua jacet constructam fuisse, memoriæ proditum est. Conventum verò tantæ Ecclesiæ proportionatum, & correspondentem fuisse, haud dubium est, in quo tribus primis Sæculis ultrà 150. Religiosi degebant, ast injuria temporum, bellorum, aliarúmque calamitatum vicissitudine, præcipuè (utì suprà memoravimus (prædominante Lutheranâ Hæresi angustis limitibus restrictus fuit, quam jacturam pariter alij insigniores, & celebres hujus Provinciæ Conventus probavêre, & quidem potissimum occasione bellorum quibus Patriæ hæ sæpius devastatæ, & depopulatæ fuerunt: Nam annô 1236. Fridericus II. Imperator ex Italia rediens cum Exercitu, Viennam obsedit, & expugnavit, ubi Fratres Minores adhuc in suburbio degentes multa incommoda, ab insolente milite perpessi sunt. Similiter dum Ludovicus Imperator Bavarus bella gessit cum Friderico Austriaco, Religio nostra, in his partibus magnam jacturam passa fuit, & multas ac magnas persecutiones Patres nostri sustinere debuerunt, maximè in Bavaria mortuo Ludovico V. Imperatore.

Item Annô 1307. Wencesslaus Bohemiæ Rex bellum movens contrà Regem Poloniæ Wladislaum, omnia quæ in Silesia ad Regnum Poloniæ pertinebant, miserrimè depopulata fuêre, eáque occasione multi nostri Conventus incendio perierunt, nempè Glacij, Glogoviæ, Oppolij, Coslæ, Fridbergæ &c. Similiter Annô 1424. Sævientibus Hussitis, Wicleffitis & aliis Rebellibus hæreticis ex Bohemia & Moravia torrentis ad instar in Austriam irruentibus, & omnia occurrentia ferro, & igne absumentibus, quorum Dux fuit Joannes Ziska Religiosorum hostis infensissimus, à quo denuò Conventus nostri Glogoviæ, & Koslæ, necnon Leobschicij incinerantur, cujus adhærentes pariter omnia in Moravia, & Silesia rapinis, & incendiô devastârunt, Oppaviam quoque incenderunt, ubi quoque Conventus noster, ac Monialium cum annexis Ecclesiis exusti fuerunt, eodémque tempore plures nostri Patres ob Confessionem fidei vivi cremantur, inter quos numerantur

rantur Pater Petrus Lector Oppaviæ, Pater Petrus Confessarius Monialium, & Pater Joachimus Concionator, qui in Moravia Kralizij ab Hussitis combusti fuerunt. Tempore Matthiæ Corvini Regis Hungariæ & Bohemiæ 1485. plurima Oppida, & Loca simul cum Monasteriis nostris destructa, & extincta sunt, nam post diuturnam Obsidionem Viennensem, cum Incolæ nil residui haberent, quo vitam sustentarent ediâ consumpti deditionem fecerunt Viennenses Eidem Regi Matthiæ, qui postea ab utráque parte Danubij usque Lincium omnia loca flamma & ferrô crudeliter evertit; hinc noster Conventus in Laa, Ziffersdorff Stainæ, Diernsteinæ, Erlæ, Claustro-Neoburgi, Tullnæ, Ipsij, Grainæ, & Laureaci in favillas redacti sunt. Similem quoquè attrocitatem exercet Anno 1541. Turcicus miles in has partes irrumpens, omniáque in Austria incendiô prosternens, & rapinis devastans, à quo etiam 18. nostri Patres 24. Januarij propè Neostadium crudeliter necantur. Neque minus ferox fuit Suecicus incursus 1642. per quem pariter partes Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ, atque Austriæ extremè depressæ, ac Incolæ ab inimico prædis onusto, & victorijs insolente, in summam sunt redactæ egestatem, & miseriam, multi quoque Conventus nostri hâc occasione labefacti, & Patres digniores ab Hæreticis capti, spoliati, ac diversis affecti maledictis, ob quorum metum plurimi ad Capitulum Provinciale Annô 1645. accedere recusârunt, quod etiam hac ratione fuerat dilatum, & Pater Magister Ambrosius Herl ex Provincialis interea Commissarius Generalis Substitutus fuerat. Quam tandem novissimè 1683. immanis Christiani nominis hostis crudelem fecerit stragem, & plagam, hanc adhuc recentem sentiunt fermè omnia loca Austriæ Inferioris, nunquam ante actis Sæculis tot barbaras hostiles copias capientia, nec unquam ità ferociter ab eisdem prostrata, quam ferocitatem præter Conventum Viennensem, & Ecclesiam Sanctæ Crucis cum sua turri pænè detruncata, campanísque contritis; potissimum expertus est Conventus Novem - Ecclesiensis, & Wimpassingensis, utérque cum suis Ecclesiis in cineres redactus, ac posterioris Conventûs Superior Pater Franciscus Grasser, spectabilis Zeli, ac venerandæ canitiei Vir à Tartaris, in genua provolutus capite truncatus fuit. Hæc tamen damna speciali assistensia Dei, & ope benefactorum, simúlque industriâ Superiorum, jam resarcita, & Monasteria cum suis Ecclesiis ad pristinum, imò ad majorem decorem redacta fuère, neque hi feroces

 bello-

bellorum incursus tantùm in substantia Conventui Viennensi nocuerunt, quantùm Lutheranæ Hæresis dilatata lues, quæ angustiati & restricti Conventûs causa fuit Archivia invadendo, acta antiquitùs conscripta distrahendo, ac etiam quosdam libros fundi ad alienas manus transportando, & sic Conventum pluribus antiquis fundationibus, & jurisdictionibus privando. Siquidem circà Annum 1560. Prædicanti Friderico Nausser, Sacerdoti Apostatæ, suæque uxori, & liberis, aliísque pluribus promiscui sexûs noster Conventus pro commoda habitatione notabilem debuit cedere locum, quo etiam instigante à Concilio Tridentino impetratum est pro Austriacis communio sub utráque specie. Deinde 1569. tota Ecclesia nostra (Choro duntaxat, & Capella Sanctæ Catharinæ exceptis) Hæreticorum exercitio permissa fuit.

THRENODIA
De Luctu nostræ Provinciæ.

FLendum est, Sodales ponite tibias,
Commissa ramis fistula pendeat
Tantisper, abjectásque servent
Annicolæ salices camœnas.
En fletus aurem personat, ac ferit
Clamore nubes, in superabilis
Germana terra sic subacta,
In viduo sedet orba luctu.
Abrupta qualis cum sonitu cadit
De rupe moles, sic potens Austria
Præceps ruisti, per remota
Intonuit gemens arva fragor.
Exempla nullis, credita Sæculis,
Credenda nullis, nostra licentius
Conspexit ætas, quàm malorum
Ferrea duluvies inundat.

Con-

Confossa telis, lubrica sanguine;
Excusta flammis, cur traho Spiritum?
In quæ reversa monstra? cernas,
Sic hæresis perimenda dedit.
Non flos juventam, non tremulum Senem
Redemit ætas, funera singula,
Et vita nulla, nulla fama,
Forma, decor, jacuere cuncta.
Hæc cerno mutus! currite lachrymæ,
Manate plenis lumina fontibus,
Senum, Sacerdotúmque cani
Per plateas jacuere sparsi.
Ex hoc gementum si mala compares,
Mærore tecta nostra tunc corruunt,
Oppressa curis, pota fletu,
Et cineres epulata misces.
Jactata fatis O potens Austria,
Quid hoc in æstu respicis auxilij?
Nunc tandem submisso cadentem
Ore animam peritura perdo.

AST revivisco, reviximus omnes, quia perduravit hoc usque ad Ferdinandum II. Piissimæ memoriæ Romanorum Imperatorem, qui Anno 1620. post magnam illam Victoriam in Albo Monte, statibus Inferioris Austriæ publicum Religionis Augustanæ Exercitium abstulit, hinc in nostra Ecclesia Sanctæ Crucis recuperata post ejectos Prædicantes primam habuit Concionem Pater Magister Barnabas Prætorius nostri Ordinis vir multùm doctus & celeber; Præfatus Pater erat natione Pruthenus, patriâ Regiomontanus natus 1570. ex Parentibus Lutheranis, Studia Philosophica ut Lutheranus absolvit Francofurti ad Oderam, Studijs Theologicis Lipsij, Genæ, & Studgardij operam dedit, tandem factus Prædicantius, Uxorem duxit, & illa mortua cum Juniore Domino Principe Curlandiæ exteras invisit Regiones,

 Leodij

Leodij morbô correptus Catholicorum conversatione delectatus ejurata hæresi fidem amplexus est orthodoxam ; Sacros Ordines omnes Leodij accepit, & titulum mensæ obtinuit à Reverendissimo & Serenissimo Episcopo Leodiensi Ernesto Bavariæ Duce, in Austriam abiens Decanus Lincensis sub Augustissimo Imperatore Mathia instituitur, & tandem Sacrum Habitum Religionis nostræ suscepit Anno 1612. hic itaque Pater Barnabas primum in nostra Ecclesia ad S. Crucem post expeditos Lutheranos habuit sermonem, & deinceps constanter continuatum fuit, & ità reflorescente Catholicismo, profligatáque hæresi etiam noster Conventus in aliam formam divisis structuris redactus denuò justis Possessoribus, quamvis non ex integro restitutus fuit, in quo postea restaurando, & ampliando non exiguum Zelum adhibuit P. Magister Clemens Widmayr Minister Provincialis Anno 1625. & Confessarius Illustrissimorum Comitum à Dietrichstain, quorum munificentia primò Conventus iste, quasi rubigine abstersus fuit, deinde verò singulari benevolentiâ & amore ergà Sacram Religionem Excellentissimi Domini Comitis Rudolphi à Puchaim Supremi Cæsareæ Majestatis Camerarij, Consilio, & precibus sui Confessarij, Patris Magistri Henrici Dens circà annum 1636. in meliorem normam redactus fuit, parte interiore, plateam respiciente de novo ædificatâ ; atque deinceps solertiâ, & industriâ plurium Eximiorum Patrum in præsentem operositatem, & splendorem exurrexit, stipendiis etiam, & redditibus ita adauctus, ut ubi triginta Annis in principio Sæculi vix 15. (imò 1540. tempore hæresis soli quinque) Fratres habitare, aut sustentari poterant, pro nunc 50. aut etiam 60. Religiosi & plures honestè sustententur. Quales autem insigniores Patres & famosiores Viri per retroacta sæcula in hoc Conventu viguerint, Posteritati transscriptum non reperitur, nisì quod quidam fuerint Archi-Ducum Confessarij Cæsarum Consiliarij, pluresque publici Theologi, ac Professores Universitatis Viennensis, series quoque Provincialium Ministrorum omnium in actis antiquis ab Anno 1621. qui etiam plerique in Conventu substiterunt, ac in eodem plurimi vitâ functi, quorum descripta series Infrà habetur, hinc inde sat magno studio conquisita; Honoratiores tamen ex antiquioribus etiam fuisse videntur : Reverendissimus Pater Wolffgangus Puchler decem annis Provincialis 1460. & denuò 1469. Episcopus Hiponensis, Plebanus in Himberg & Concionator Aulicus, sepultus est

Vien-

Viennæ 1475. ante majus Altare. Item Reverendissimus Pater Theodoricus Kramer Episcopus Neostadiensis, qui ut talis, electus fuit in Provincialem, quod munus simul cum Episcopali ab Anno 1505. úsque in annum mortis suæ 1530. *id est*: 23. Annis exercuit cum summo Zelo. In Præterito verò sæculo, quo (uti meminimus) Provincia restaurari, & reflorescere cæpit, digniores Viri extitêre P. Magister Bonaventura Manhardus Provincialis, 1628. Et Prædicator celeberrimus, adhoc magis proficuus P. Magister Arnoldus Birckmann præcipuus Provinciæ restaurator & Provincialis Anno 1631. etiam apud Vulgum Austriæ Apostolus vocitatus, Is fuit Concionator Aulicus, Consiliarius Ferdinandi II. Imperatoris cum annuali stipendio, qui suâ doctrinâ, facundia, conversatione exemplari, morúmque suavitate multos magnates Austriacos Hæresi infectos, ad fidem Catholicam convertit, inter quos fuerunt Princeps Gundakerus à Lichtenstain, Wilhelmus Comes à Stahrnberg, & alij non pauci, obijt Viennæ Anno 1632. ibidem in nostra Ecclesia sepultus, quo tempore Viennæ floruit Parer Magister Octavianus de Ravenna, Theologus & Professor publicus, deinde P. Magister Henricus Dens pariter Provincialis austriæ Anno 1636. vir magnæ æstimationis, ac Ferdinando III. gratissimus, cujus etiam fuerat Consiliarius, ac Vice-Protector Collegij Ferdinandæi Pragæ, laudabilia pro Provincia, & præsertim hoc Conventu fecit, pluràque præstitisset, Anno 1656. His quoque meritò adjungendi sunt alij Eximii Patres, nempè: P. Magister Cornelius Ottweiler bis Provincialis, cujus suo loco invenietur specialis memoria; P. Magister Ambrosius Herl Eximius Doctor, & Professor Viennæ simúlque Provincielis 1642 qui tempore belli Suecici multum pro conservatione Conventuum laboravit. Porrò recenti adhuc hæret memoriæ & commendabilis ille vir nulli secundus P. Magister Ambrosius Fornator bis Provincialis, Doctor Universitatis Viennensis, & ibidem multis annis Guardianus, cui plurimùm de splendore, amplitudine, & profectu Conventus iste debet, qui ejus industriâ elegantissimo, & quasi tunc incomparabili Refectorio expensis Domini Pinelli exornatus fuit, novóque ædificio duas continente condignationes, mænia prospiciente ampliatus, nunc pro Novitiatu, & Professatu destinato, multa quóque pro Ecclesiæ ornamento procuravit, sacrámque Suppellectilem proinde adauxit, cujus postea Vestigiis inhærentes plures alii eximij Patres suo laudabili Zelo Conventûs hujus splendorem tam internum quam externum conservare, &

 amplia-

ampliare ſtuduerunt, ità ut de anno in annum notabiliter proficere viſus fuit, tam in ſubjectis dignis, & redditibus annuis, quàm in Obſervantia interna, & exemplaritate externa, pluribus noviter adjunctis devotionibus populo gratioſiſſimis, quorum continuationem DEUS ter optimus promovere dignetur, conſervando Seraphicum Zelum, & virtutis conſtantiam in cordibus quærentium gloriam ſuam, & exemplum anteceſſorum zelo Franciſcano imbutorum, non ſolùm jam nominatorum, ſed aliorum quòque plurium, quorum commendabilia geſta, & glorioſos fructus in directorio Provinciæ eodem tempore confecto intueri, & immitari poteris. Plura quidem adhuc adnotanda reſtant de Conventu & Eccleſia Viennenſi Sanctæ Crucis, verùm hæc poſt deſcriptionem aliorum Conventuum transferenda duximus, ut poſtea uno tractu ſequentibus occurrentia notabilia enarremus.

Noſtræ Conventuali Eccleſiæ Viennenſi titulô ſanctæ Crucis inſignitæ affigo illud Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Emblema, qui Crucem pingens ligno Crucis ſequentem ſubjunxit gnomam:

In Virtute tua.

QUaſi diceret, in virtute ſanctæ Crucis ubique ſalvus ſubſiſtam, Crux in multitudine virtutis ſuæ virtutem populo ſuo dabit Minoritico, ibunt de virture in virtutem, & laudabunt Altiſſimum in firmamento virtutis ejus à Sæculo quieto ùsque in Sæculum Sæculi; Unde abſit nobis gloriari, nisì in cruce Domini noſtri JESU Chriſti, per quem nobis mundus crucifixus eſt, & Nos mundo.

Sanctiſſimæ Crucis Arbori hoc ſuper addo elogium: Noſtræ tu gloria gentis, nonnè maxima gloria in Cruce glorioſa, D. Auguſtinum percipite. Non eſt magnum in Chriſti Sapientia gloriari, magnum eſt in Cruce Chriſti gloriari, noli erubeſcere de Cruce Chriſti, quia in fronte tanquam in ſede pudoris hoc ſignum accepiſti, Crucem, quam totus mundus ſumma cum adgeniculatione adorat, venite Adoremus, Calixtus III. Pontifex maximus Cruci ſubſcripſit: *Omnes Reges ſervient ei.* Hæc eſt gloria Crucis, quod omnia Coronata Capita ſe cogantur eidem ſub-

ſubmittere, Undè iteratò S Auguſt: Chriſtus de Cruce ſua vincit Reges, & gloriantur de Cruce, quia in illa eſt Salus illorum. Per Sanctam Crucem tuam redemiſti mundum, Miſerere Nobis.

Secundus Conventus qui eſt Stainenſis ubi Anno 1224. noſtri Patres jam Domicilium habuerunt, quomodo autem hic Conventus ſuum principium habuerit, ignoratur, frequenter enim unà cum Civitate in Ripa Dannbij ſituata, à diverſis hoſtibus exuſtus, & devaſtatus fuit, præcipuè ultimo Suecico bello ab hæreſi excitato, ſicut etiam Sæculo Decimo quinto, ubi in Domum ſalis converſus fuit, quem poſtea P. Ludovicus Panza Commiſſarius Generalis, ſuo Patrimonio 1577. pro 750. florenis unà cum Eccleſia redemit, eidémque multa bona fecit, nunc in competentem Ordinem, & ſat commodam habitationem redactus, egregiâ Eccleſiâ, quæ antiquitatem preſe fert conſpicuus, quæ Eccleſia conſecrata fuit Anno 1264. in honorem Sancti Udalrici à Reverendiſſimo Epiſcopo Bambergenſi. In hoc Conventu degent ordinariè plures fratres, qui partim ex annuis redditibus, partim vero Eleemoſynis ſuſtentantur.

Noſtræ Conventuali Eccleſiæ Stainenſi à Patrocinio S. Udalrici Epiſcopi protectæ, Mitram Epiſcopalem, cum Epiſcopali Pedo appingo, & Joannis Baptiſtæ Mazzoleni Epigraphen ad Inſulam inſculpo:

Capitis teguménque Decusque:
Ad Pedum
Corrigit & Dirigit.

QUasì innueret, magna debet eſſe reverentia Capitis ſeu ſuperioris, primum omnium Caput eſt DEUS altiſſimus, ſi Conventum hunc Dominus regit, nihil mihi & vobis deerit, & ſi DEUS potens eſt ex lapidibus facere filios Abrahæ, profectò nos Fratres Stainenſes faciliter multiplicare poterit, & ſic feliciter multiplicare poterit, & ſic feliciter multiplicatos ipſe reget nos in ſæcula. Pedo ſuo pedes noſtros dirigat S. Udalricus, ut addiſcamus viam mandatorum currere, & quilibet tam

tam clàm, quàm palàm effari valeat: converti pedes meos in testimonia tua, & ab omni via mala prohibui pedes meos.

Tertius hujus Custodiæ Conventus est Aspernensis, Asperna Castellum est cum oppido, olim pertinens ad Templarios, ubi Sigefridus Christophorus Liber Baro de Breiner zelo Religionis Catholicæ, & sincero amore in Religionem nostram præfatæ Dynastiæ Dominus, acquisito consensu Ferdinandi II. Imperatoris, simúlque Serenissimi Archi-Ducis Leopoldi tunc Episcopi Passaviensis, Parochiam cum annexis filialibus nostris Patribus concessit, suísque sumptibus 1624. Conventum construxit relictâ Ecclesiâ Parochiali in pristina forma, cujus primus Guardianus fuit P. Magister Clemens Widmayer, qui ibidem Anno 1651. mortuus est, ætatis suæ annorum. 83. fundavítque prænominatus Illustrissimus Dominus pro duodecim Germanis Religiosis (ubi nunc sedecim, & plures honestè degere possunt) præter Parochiales redditus accesserunt Conventui quædam fundationes, quarum Capitale jacet in Domo Provinciali, addidit quidem prælibatus Dominus fundator sex mille florenorum, ast hæc venerunt Anno 1685. in Domo Provinciali ad reductionem; Filius quoque præfati Fundatoris Illustrissimus Dominus Sigefridus Leonardus haud deflexit à Paternis vestigijs, imò pluribus argenteis vasis, lampadibus, libris, & Ecclesiam & Conventum illustravit, cujus etiam Filius, & quidem primogenitus nostram Religionem ingressus, & Professus est nomine Franciscus Antonius Breiner, quæ Illustrissima Familia ex Colonia Agripina Originem trahit, honoris adipiscendi gratia ad bella Hungarica illecti in Styriam, & Austriam commigrantes.

Propè Aspernam nempe in Laa Fratres Minores obtinent locum 1237. quorum Fundatores & Benefactores erant Domini de Khünring, postea 1568. iste Conventus sæpius exustus, & tempore bellorum devastatus, ob exiguitatem loci, & penuriam Religiosorum ac hæreticis sæpius dispersorum deseritur, duos subditos cum decimis in New-Ruppersrorff antea in Laa spectantes adhuc de factò possidet Conventus Viennensis, reliquis fruuntur Domini de Trautshon & Parochus.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Aspernensi sub tutela Sancti Pancratij Martyris expositæ cælestem appendo Zodiacum, in quo Duodecim signa perpetuo moventur motu, stante nihilominus ipso Zodiaco semper immoto, cum Lemmate:

In

In motu immobilis.

SAnctus Pancratius in motu persecutionis Diocletianicæ ab orthodoxa fide immobilis, unde hujus Ecclesiæ januis subsequens P. Jacobi Masenij annecto Dysthichon:

Est mens firma tibi, non mota moveris in orbe,
Dúmque agis, aut ageris, stellula fixa tibi est.

Sub hujus Sancti Patrocinio Fratres exultabunt, si motus fuero, unde nec fluctus, nec terræ motus timeo quia motum fluctuum tu Pancrati mitigas, moveatur mare & plenitudo ejus, ego nunquam commovebor, & sperans in Domino, non movebor in æternum.

QUartus hujus Custodiæ Conventus est Novem-Ecclesiensis fundatus Anno 1631. ab Illustrissimo Domino Joanne Balthasaro Comite ab Hoyos Sac. Cæs. Majestatis intimo Consiliario, Mareschallo Provinciæ, & Generali Bellico Inferioris Austriæ, ex singulari erga Religionem nostram affectu pro duodecim Fratribus, pro quorum sustentatione annuatim sexcentos florenos præbendos ex Dominio Stixenstein assignavit, unà cum incorporatione Parochiæ loci, & beneficiorum, cum consensu Ferdinandi II. Imperatoris, & approbatione Ordinarij, nempe: Reverendissimi, & Celsissimi Principis Paridis de Ladron tunc Archi-Episcopi Salisburgensis; Primus hujus loci Guardianus fuit P. Bacc: Antonius Winchelmayer, cujus & aliorum Superiorum industriâ hic Conventus successu temporis ità ampliatus & dotatus fuit, ut nunc ibi plurimos Fratres capere, & de propriis redditibus honestè sustentare valeat.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Novem-Ecclesiensi constitutæ sub Præsidio Beatissimæ Virginis Mariæ in cœlos assumptæ illud substituo lemma, quô Scipio Bargelius fuerat usus, dum Sanctissimam Virginem Matrem cœlos penetrantem cum depicta flamma effigiavit:

Summa petit.

ERat Maria Lucerna ardens & Lucens, erat luminare minus, ideò pulchra ut Luna anhelavit adesse Soli hæc Soli est cognita Soli, Virgo gloriosissima opportunè in rem præsentem vocatur à Joanne

E Geo-

Geometra : Rheda aurea Solis mystici, seu quadriga Eliæ virtutibus consita, & à Puteone : vehiculum ejus Sanctissimum, qui est super Cherubin, trahe nos post te, & curremus in odorem unguentorum tuorum.

QUintus Custodiæ Conventus est Wimpassingensis quem Illustrissima Domina Eva de Stozing, nata Baronissa de Benzenau, Mater & Tutrix Dominorum Adolphi Octaviani, & Joannis Rudolphi Fratrum de Stozing pro reformatis Anno 1588. extruxit, postea Anno 1630. una cum Parochia ad instantiam P. Magistri Arnoldi Birckman nostræ Privinciæ Austriacæ traditus fuit, à Domino Joanne Rudolpho de Stozing, qni sequenti anno ibidem in propria Crypta Sepultus est, ubi primus Guardianus fuit P. Joannes Hartl, postea successu temporis P. Mag. Philippus Bancor quondam Provincialis Bohemiæ, propugnator & invictus Conservator Conventûs Wratislaviensis ad S. Dorotheam, qui etiam Wimpassingæ post perpessas potentissimas persecutiones invenit suam requiem, & inibi sepultus est. Hic Conventus sub obsidione Viennensi 1683. in favillas redactus fuit, una cum Ecclesia, suáque suppellectili spoliatus Anno 1717. à malevolis hominibus supposito igne, præsertim Ecclesia tota ibidem denuò incinerata est, ità ut per ignem, debilitatis muris ex fundamento debuerit de novo extrui, quæ & nunc etiam in pulcherrima forma Deo sint laudes extructa est, pariter & Conventus hac occasione potiori ex parte miserè tunc conflagravit ferè cum omnibus appertinentiis, verùm strenuè collaborantibus Patribus & Fratribus unà cum superiore, simúlque diligenter aliis colligentibus Eleemosynas, Clementissimè subministrante plurima materialia Celsissimo Principe Esterhasi, omnia in speciosiorem normam redacta sunt, & rediguntur. Degunt in eodem Conventu plures Religiosi : augeri numerus poterit, postquam Damna omnia resarcita, fuerint.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Wimpassingensi, inixæ sub subsidio Beatissimæ Virginis Mariæ in cœlos assumptæ montem Olympi in Græcia aëra transcendentem appingo, cum subscriptione:

Nubes excedit.

OLympus suprà mediam aëris Regionem ità se se attollit, ut verticem nubibus involutum, & ab hominum oculis penitùs habeat remotum,

tum, poteft inquit S. Gregorius hujus montis nomine Beatiffima femper Dei Genitrix Maria defignari, mons quippe fuit, quæ omnem creaturæ altitudinem fua dignitate tranfcendit. Erit in noviffimis diebus præparatus Mons Domûs Domini in vertice montium, & elevabitur fuper omnes colles; Undè denuò S. Gregorius: An non mons fublimis Maria, quæ meritorum Verticem fuper omnes Angelorum choros usq; ad Solium Deitatis erexit; igitur non inconcinnè noftra Ecclefia Wimpaffingenfis eft in monte fituata; ibidem eft Maria fuper Sion Montem Sanctum ejus, Mons, in quo eft beneplacitum habitare in eo; levate itáque oculos veftros in montem, & veniet auxilium vobis.

SExtus hujus Cuftodiæ Conventus eft Tullnenfis, qui unus eft ex antiquiffimis totius Provinciæ, cùm verò oppidum quondam celebre per frequentes hoftium incurfiones fæpius devaftatum fuit, ita etiam Conventus ruinis involutus eft; Invalefcente poftea Lutheranâ hærefi Anno 1544. à Fratribus noftris planè defertus fuit, poftmodum ftabilita utcunque in Auftria Religione Catholicâ, & refloreſcente noftro Ordine, hæc quoquè in ruinis jacens Domus repetita fuit, & per Commiffarium Cæfareum Dominum Georgium Teüffel (Titulus) Provinciæ reftituta Anno 1635. manfit itáque hic Conventus in pauperie, & defolatus, quia ob loci, five oppidi pauperiem, & quafi defolationem emergere non potuit, cui accedit, quod Danubius fuo impetu jam quafi alluat, & non tantum Conventui, fed & oppido minetur totale exitium. Anno 1712. Perilluftris Domina ab Eckhardt (Titul.) mille Florenos, & Provincia pariter unum mille fubminiftravit pro noviter ædificando hoc Conventu; Pro nunc in eodem Conventu aluntur plures Religiofi, & quidem potiffimum ex pura Eleemofyna. Hæc itáque funt de prima Cuftodia memoratu digna, nunc fecundam luftraturi fumus, aft pro priori.

Noftræ Conventuali Ecclefiæ Tullnenfi fultæ auxilio Beatiffimæ Virginis Mariæ in Cœlos affumptæ appono aquilam versùs cœlum fummo cum defiderio volantem cum adjuncta hac verborum fignificatione:

Terrena Sordent.

INter Mortales cæteros, quibus fordidus fuit mundus faftidio, fuit fingulariffimè Sancta Dei Genitrix, de qua fcribit S. Thomas Villa-

novanus hæc formalia : ex quo in clarissimum Divinitatis Jubar hæc aquila perspicax oculos suos defixit, nunquam eos amplius ad terrena deflexit, sordebant terrena, dum conspexit cælestia. P. Jacobi Mansenij versum subnecto:

Par Aquilæ Virgo est, cœlesti lumine gaudens,
Illa capax Solis, Illa capaxque Soli.

SUb umbra igitur alarum tuarum ut pupillam oculi custodi nos Mariana aquila, custodi nos in omnibus vijs nostris, nè fortè offendamus ad lapidem pedes nostros, & dirige nos in viam pacis.



CAPUT V.

SEcunda Custodia Provinciæ Austriæ, est Moraviæ, cujus Primus Conventus est Brunensis, & quidem antiquissimus, primum ejus Fundatorem reperimus Regem Bohemiæ Wenceslaum IV. Filium Regis Primislai, qui Fratres primò Brunam introduxit, ipsísque Monasteriolum cum Ecclesiola ædificavit Anno 1231. quo Conventu Anno 1262. in Festo Pentecostes una cum Civitate fortuito igne exusto in actuali celebrato Capitulo Provinciali. Anno 1285. Eundem Wenceslaus V. Nepos Wenceslai IV. & Filius Ottocari aucto Fratrum numero sumptuosissimè, & amplissimè reædificavit, & restauravit, præcipuè Ecclesiam erexit in honorem SS. Joannis Baptistæ, & Joannis Evangelistæ magnificentissimam, qui profectò mirus fuit nostræ Religionis Fautor, & Benefactor, sed Anno 30. ætatis suæ extremum diem clausit, & in eadem Ecclesia sepultus fuit, cui successit Filius Wenceslaus, verùm degener à Patre pientissimo, qui in luxu & commessationibus vitam suam transegit, movens bellum contrà Polonos in Decanatu Olomucij à Sicario occisus fuit. Anno 1306. Civitas Brunensis igne de cœlo tacta tota conflagravit, simul etiam cuncta Monasteria, & Ecclesiæ, cui infortunio nostra quoque involuta fuit, neque tunc erat, qui pauperculis Fratribus obstetricantem præberet manum, Wenceslaus enim præfatus Religionem à Patre suo intimè Dilectam contempsit, Deus quidem suscitavit bonum animum in Nicolao Duce Oppaviæ pro Religione, qui generosum Opitulatorem se se exhibuit, in restaurando Conventu, & Ecclesia,

ast

aſt Ipſe cum Filio ſuo Joanne inopinatè extinctus, & in Eccleſia tumulatus, nil ſolidi, & perfecti efficere potens. Tandem afflante gratiâ divinâ prodierunt Illuſtriſſimi Domini, & tunc potentiſſimi Dynaſtæ de Boskowiz, qui Conventum & Eccleſiam ex aſſe reſtaurârunt, & redegerunt in benè ordinatam, & ſpectabilem venuſtatem, eandem poſtea Reverendiſſimus P. Martinus de Bruna Ordinis noſtri, quondam multis Annis Guardianus, deinde Epiſcopus Nicopolienſis, & Suffraganeus Olomucenſis conſecravit; poſteroque anno ibidem obijt, & in eadem Eccleſia in Choro ſepultus. In rebellione Bohemorum quæ cæpit 1618. (cum qua & Moravia intricata fuit, originata ab Hæreſi) graviſſima damna hoc Monaſterium paſſum fuit, Anno enim 1620. P. Joannes Gyptius multis Annis Brunæ ad SS. Joannes Guardianus per literas die 15. Junij citatur Olomutium à Capitaneo Provinciæ Ladislao Wellem de Zierotin, ubi ſtatus ſub utráque habebant ſua comitia, deducitur illuc P. Guardianus à duobus militibus, & Die 17. examinatur, & in publicos carceres conjicitur; objectum ipſi fuerat, quod haberet correſpondentiam ſecretam cum Miniſtris Cæſareis, Cardinale de Dittrichſtain, cum noſtro Patre Cæſare Nardo Montopili Concionatore Aulico, & quòd ſæpiùs miſerit literas ad Doctorem Bonacinam, ad quas objectiones tamen prædictus P. Guardianus cum ſatisfactionè quidem reſpondit, ſed tamen in dictis carceribus per quinque Septimanas detentus fuit, poſtmodum poſitus per quatuordecim Dies ad Prætorium Olomucenſe; tandem liberatus 1. Auguſti de licentia Dominorum ſtatuum dimiſſus fuit Brunam; poſt tres verò dies ex mandato Domini Capitanei Civitatis Brunenſis nomine Eberſperg ad Prætorium Brunenſe pro arreſto deductus fuit, ex cauſa, quod non crederet illum de licentia ſtatuum huc veniſſe, tandem per Dominum Capitaneum Provinciæ de Zierotin liberatus, ante curiam currum aſcendere debuit, & directè diſcedere Viennam, in ejus abſentia quæ non fuerunt abſcondita de theſauro Eccleſiæ, Libris, Calicibus, Monſtrantiis, paramentis & aliis pretioſis &c. ad Curiam à Senatu Brunenſi aſportata fuerunt, & illa quæ placuerunt nobis poſtliminio reſtituerunt; Pro nunc eſt hic Conventus ex principaliøribus totius Provinciæ, præſertim tam Operantibus noſtris Religioſis Sacra Domus Lauretana Beatæ Virginis noviter erecta eſt, & Sacra Scala actualiter ſtat in ædificio.

Præterea ſub faventibus Patronis totus Conventus quaſi immutatus, ambitus ſuperiùs elevati, novus Provincialatus, item Novitatus

 & plu-

& plurimæ aliæ habitationes pro Religiosis, Sacristiæ, nova Bibliotheca, novumRefectorium antiquo dejecto, erectum, ac proinde totusConventus in aliam & speciosiorem formã transmutatus est, in quo antea 22. nunc verò 45. Fratres de Familia collocati, Deum laudant, & gratias agunt, qui potiori ex parte sustentantur propriis redditibus, quamvis etiam notabilem acquirant ex Collectura & à particularibus Benefactoribus Eleemosynam. Hic Conventus postquam Primislai Regis Bohemiæ & Ducum Oppaviæ 1336. in masculis defecisset, accepit conservatores Illustrissimos Dominos de Boskowiz, quæ familia etiam defecit in Joanne Zembra, de Zernahora 1597. qui habuit duas Filias, quarum una nupsit Maximiliano, & altera Carolo de Liechtenstein, qui nunc Fundatorum Titulum obtinent Brunæ, Oppaviæ & Carnoviæ.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Brunensi in honorem SS. Joannis Baptistæ, & Evangelistæ consecratæ imprimo duos ex signo Zodiaco geminos mutuò se se amplexu jungentes cum Epigraphe :

Nos amplexatur utérque.

UTerque Joannes sub suo Patrocinio, quasi fixissimis duabus columnis, tum Ecclesiam, tum Conventum firmissimè ad instar Herculis & Atlantis Succollat.

Profectò ut Deum quis sibi loquentem, & intus personantem audiat, solitudo quærenda est, ubi enim existimas esse factum Verbum Domini ad Joannem? nuquid in Paterna Domo? In Aula Herodis? In frequentia populi? minimè, sed in Deserto, Vox clamantis in Deserto; appingo itaque Joanni in Deserto degenti hunc mentis meæ conceptum :

Desertum facit esse Disertum.

Joannitæ Brunenses sint voces clamantes, in choro Psallentes, Baptismum pænitentiæ prædicantes, & laudes divinas ubique resonantes.

Joannem Evangelistam in Sinu Christi recumbentem contemplor, & quasì voce Salvatoris utor:

Nec

Nec te mihi charior ullus.

Voce Joannis respondens:

Nec me vis dividet ulla.

AMans comitatur amantem, & Joannes sequitur agnum quocunque ierit, Agnus in Cæna Domini vescendus apponitur, adest Joannes, in hortum oraturus discedit, sequitur Joannes; ducitur in jugum Golgothæum, comitatur Joannes, Agnus in Cruce immolatur ut Victima, sub umbra Illius stat Joannes & Maria, hoc dulcissimum super mel & omnia percipiens eloquium: *Ecce Mater tua.* Nullibi tutius habetur Asylum, quàm sub materno Deiparæ Patrocinio, cum Joanne sub materno Deiparæ Patrocinio, cum Joanne sub tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, tuo filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, & tuo Filio nos repræsenta, nunc & in hora mortis nostræ Amen.

Secundus hujus Custodiæ Conventus est Ollomucensis Sancti Jacobi pro nunc ità vocatus, quià Anno 1567. ad instantiam Wilhelmi Prussinowsky Episcopi Olomucensis per Breve Apostolicum Pij V. Conventus noster Sancti Francisci cum nobilissima Ecclesia commutatur cum exiguo desolato Monasteriolo Sancti Jacobi Monialium Sancti Augustini, noster verò Conventus cum Ecclesia sub certis conditionibus adimplendis, ab Episcopo Patribus Societatis traditur, quo Anno 1567. 5. Septembr. introducuntur, qui Patres Societatis dicuntur subsequenter per Bullam Gregorij XIII. in eo confirmati, hi dejecta Minoritarum Veteri, novam & Magnificam Ecclesiam & Amplissimum Collegium ædificarunt. Hic quoque specialiter notandum venit, quod adducit Historicus Marcomannus, & ex ipso enarrat R. P. Casparus Knitl è Soc. JESU in suis Concionibus Dominicalibus Academicis in parte Hyemali, ubi hæc specialiter leguntur fol. 179. de prodigijs Venerabilis Sacramenti Altaris: Anno 1241. quasi diluvium Tartarorum universam Marcomanniam inundaverat, & ipsa Metropolis Olomucena, jam jam in Sanguine submergenda erat, Et ecce! misit Rex Bohemiæ Heroëm illum Jaroslaum Sternbergicum, qui non ivit, sed advolavit Ollmutium, factus ibidem Dux Octo Millium Bohemorum, & Moravorum, contra ducenta millia Tartarorum.

Con-

Convocat Jaroslaus Tribunos omnes, & Magistratus militiæ, & ait: Eja Comilitones jam, jam est tempus erumpendi, & perrumpendi, expectat vos apud omnes nationes immortalis gloria, & & apud Regem Laudes & præmia, cædamus Barbaram Tartariam, & liberemus misellam Patriam; dixit, & sinè mora armantur, ac prælio parantur.

Cum autem arma omnia sinè DEO sint enermia, properat Jaroslaus cum suis Tribunis ad templum Corporis Christi, ac ibidem Sacra Confessione cum omnibus expiatur, SS. Corpore Christi reficitur, tum surgit ad moriendum, aut ad vincendum, Ecce! autem mirabilem casum, remanserunt aliquot Sacræ Hostiæ, cum minor esset numerus Tribunorum, jubet igitur Jaroslaus parari ex tempore quasi Arcam fœderis, & ibi collocari à Sacerdote has Sacras Hostias, & hanc Arcam, in formam templi Asello imponit, & cum hoc Marte Eucharistico ad forum currit, & coram toto populo in terram ruente elevat manum, Deoque facit votum se templum extructurum, si reportaverit victoriam contra Barbariem Tartarorum.

Reserantur ergo Portæ, egreditur Jaroslaus cum hoc Eucharistico Marte, erumpit cum octo millibus Christianorum contra ducenta millia Barbarorum, Et ô quanta, quanta strages, quantus Sanguis! quanta trucidatio! cadunt innumera cadavera, vix non ad internecionem ruit Tartaria. Ipse Jaroslaus, cum Peta Tartarorum Duce congreditur, amputat illi dexterrimè dexteram, & præcipitat ipsum inturpissimam fugam; Et ecce partâ victoriâ miraculum! accedit Jaroslaus cum Sacerdote ac Tribunis Sanctissimum Tabernaculum Asello impositum, & videt in Sacris Hostijs interea factas ex parte Lunulas, quasi carneas & sanguineas, ut ostenderet Mars Eucharisticus, quomodo pugnaverit pro suis Christianis Dux Sanguineus, hæc itaque prædictus R. P. Casparus Knitl. Præterea in nostris Manuscriptis Olomucensibus invenitur, quod Jaroslaus exsoluturus postmodum suum factum votum ædificaverit nobis Ecclesiam Sancti Francisci supra mentionatam; Cunegundis verò ejus amantissima Consors nata de Zierotin è regione Ecclesiam Sanctæ Claræ.

Interea Conventus ille angustus, & desolatus Sancti Jacobi successu temporis in sat commodam, & benè ordinatam habitationem exsurrexit, Ecclesia simul juxta proportionem spatij dilatata, & eleganti-

gantibus Capellis decorata est, pretiosâ simul suppellectili præcipuè argenteâ dotata, Fratrum etiam numerus mirificè succrevit, adeò ut adhuc in principio Septimi Sæculi tres aut quatuor tantùm Fratres reperiebantur, nunc 20. aliquot ibidem sustententur auctis successu temporis redditibus, priorumque Benefactorum accrescente Eleemosynâ, ideò nunc inter insigniores Provinciæ hic Conventus est reputandus, Deus ultrà ei benedicat, detque superiores Zelosos, fideles, & providos, ex quorum vigilantia, & indefessa industria omnia in majus deveniant incrementum. In hoc Conventu floruerunt aliquot præclari Patres, nempè, R. P. Joannes Baptista Civalli de Sancto Genesio Italus, qui 1612. factus est Pro-Episcopus, sive Suffraganeus Olomucensis, Episcopus Nicopoliensis, Præpositus ad omnes Sanctos Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, ac simul Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ Cremsiriensis qui obiit Anno 1617. Olomucij ibidem in Cathedrali Ecclesia tumulatus. Anno 1621. Vir singularis præfuit ibidem P. Cæsar Nardus Montopolitanus, antea Concionator Aulæ Cæsareæ, postea Episcopus Ansariensis, etiam Ollomutij Suffraganeus, & Præpositus ad omnes Sanctos Canonicorum Regularium. His jure adjungendus est P. Mag. Paulinus Zazkowiz Polonus, hic quantas calamitates, injurias, carceres, squalores, & diversa maledicta, capto 1642. à Suecis Olomucio constanter, & patienter pro honore DEI, proximi salute, fideique defensione per totum tempus, quo Sueci urbem possiderunt pertulerit, hic succincto calamo describi non potest, Deus ipse hujus viri bonitatem, rectitudinem, quasì modio substratam, candelabro imposuit, fecitque gratiam habere in oculis inimicorum, qui perpendentes viri simplicem puritatem, laborum sufferentiam, periculorum contemptum, & tantarum calamitatum invictam patientiam, flexi postea, & emolliti pepercerunt & ipsi, & Conventui cum rigoroso edicto, nequid ultrò molestiæ ipsis inferatur, quod nullis alijs Religiosis contigerat. Neque silentiò prætereundus est P. Policarpus Guttkind, qui profligato Sueco ibidem factus est Guardianus, continuando in hoc officio per 26. Annos usque ad mortem, Vir exemplaris, Zelosus, & Religiosæ observantiæ addictissimus, omnibus gratiosissimus, præsertim Dominis Prælatis, & Canonicis, ac Ipsi Celsissimo Principi Carolo de Liechtenstein Episcopo Olomucensi, cui præfato viro, & Patri plurimùm debet ille Conventus ob integram fabricam, unà cum ipsa Ec-

clesia

clesia ejus labore, & industriâ in præsentem statum reductam, cui etiam notabiles redditus annuos adauxit, ac pretiosam suppellectilem providè comparavit; Adest ibidem Olomucij Monasterium Sanctæ Claræ sat amplum & decorum quod subest Jurisdictioni P. Provincialis Austriæ, qui usque an Annum 1688. plenissimam Authoritatem super illud habuit, eligendo Abbatissam independenter ab Episcopo, ejusque Commissariis, in quo hæc Authoritas ibidem nunc limitata est.

Hic non est Silentio prætereundum illud, quod prætactus P. Mag. Paulinus Zazkowiz vir fide dignus in suis notatis de Suecio bello (quæ etiam Reverendissimi & Illustrissimi Domini Domini Canonici Olomucenses plurimum æstimant) post se reliquit, & memorabile inter alia his verbis adnotavit.

Venerabilis Virgo Anna Oppawska 1650. electa Abbatissa, tandem seniô confecta ætatis septuaginta sex Annorum, diem, & horam mortis, id est: horam Nonam ante meridianam diei sextæ Februarij quæ fuit dies ejusdem Professionis, quatuordecim diebus ante obitum omnibus prædixit Virginibus, intrà illud tempus Sepulchrum seu Cryptam novam sibi, & successoribus Virginibus in Templo ædificari mandavit, imminente mortis die Administratorem bonorum Capitaneum Gregorium Wrbawsky Seniculum advocando in Vigilia obitûs sui 5. Februarij ei dixit: cras horâ 9nâ (quâ Christus mortuus est) ego moriar, & ut ejusdem Virginis quinquagesimum Annum suæ Professionis celebrent portionem multiplicari mandavit, addens: ego autem cum meo Sponso dante Deo in cœlo secundas primitias celebrabo; Capitaneus videns illam non graviter infirmari, cum risu accipiendo librum Magistralem Conventûs inspexit, & illa prædixerat, 50. Annorum spatium in Religione transegisse 6. Febtuarij deprehendit, circà vesperum autem pridiè Confessarium advocat, & eidem generaliter confessa est, & præterea expetiit extremam unctionem, Confessarius videns non esse periculum in crastinum distulit; pariter jam aliquot Mensibus erat infirma alia ex professis Virginibus nomine Catharina Tamfaildin, cui 6. die Februaarij in mane oportebat extremam dare unctionem, quæ etiam ultimo viatico SS. Communionis accepto obijt, venit interim celebrandi horâ octavâ tempus, jam cum Missa exeuntem Confessarium audivit instante horâ 9. mortis, Confessarium, nè ipsam negligat, admoneri curavit, qui veniens cum Sacro oleo Eam unxit, illa vero

unâ

unâ manu Crucem, alterâ candelam tenens cum verbis illis: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, animam Deo reddidit.

Noſtræ Conventuali Eccleſiæ Olomucenſi Divo Apoſtolo Jacobo majori Sacrata; illud ipſum Literis exaro, quod Dominus Areſius Sancto Jacobo Apoſtolo exaravit cum depicto fulmine:

Usque in occidentem paret.

Appoſitè ſanè, ipſe enim mundi Redemptor Jacobo nomen indidit: Boanerges, quod idem ſonat, ac tonitrui Filius, Jacobi verba erant contrà infideles fulmina, dum Salutiferam fidem ad ultimas usque Hiſpaniarum partes indefeſſè promovit. P. Vincentius Gilibertus in fulminis emblemate divinam vindictam olim è tribunali extremo detonandam contemplatus Epigraphen addidit: *Obruet & obſtruet*; id eſt: terræ hiatus patebit, damnatos juſtus Judex obruet, & in æternum occluſos obſtruet; Tu Sancte Jacobe Major Minores Fratres noſtros Olomucenſes ab hoc Fulmine protege, quia, ut perſpectum eſt, duos fulmen producere conſuevit effectus, ſcilicet: proſternere, & illuminare, impetra, nè tunc proſternamur, ſed à Divinæ gratiæ radiis illuminemur, & verificabitur illud Lucarini de ſulmine Symbolum:

Illuminat, non ferit ubique.

TErtius hujus Cuſtodiæ eſt Conventus Iglavienſis, qui etiam numeratur inter antiquiores, quod ex veteri ſtructura, & diverſis inſcriptionibus Eccleſiæ deſumitur, reperimus quoque in Annalibus Provinciæ Poloniæ, & Bohemiæ (cui antecedenter hic Conventus incorporatus fuerat) quòd Pater Daniel Provincialis Bohemiæ ſeptimus celebraverit Capitulum Iglaviæ A. 1258. à quo autem cæptus, & fundatus fuerit, ignoratur, qui toties utpotè Bohemiæ contiguus ab hæreticis rebellibus Huſſitis, & tandem à Suecis devaſtatus fuit, ut nihil de antiquitatibus ſupermanſerit, ſemper tamen iniquiſſimis etiam temporibus à noſtris Fratribus poſſeſſus autumatur, nunc ibidem Deo ſint laudes, poſt per providos, & Zeloſos Superiores in meliorem formam redactum Conventum, & ædificatis honeſtis habitationibus pro Religioſis morantur plures Fratres, partim ex Eleemoſyna, partim ex agrorum æconomia ſuſtentati; conſtat quidem conjectualiter, & notitia

Senum de nostris pluribus & pinguibus possessionibus tempore bellici tumultûs violenter abreptis, sed defectu scripturarum nobis cum aliis antiquis actis ablatarum nos demonstrativè legitimare non possumus.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Iglaviensi dedicatæ in honorem Beatissime Virginis Mariæ Assumptæ Lunam in medio stellarum affigo, cum hac expressione & gnoma Horatij.

Micat inter omnes.

SAnctus Damianus Mariam Virginem super omnes elevat cælites, quid Lunâ pulchrius? inquit ille, aliorum luminum claritatem obfuscat, sic & Virgo inter animas Sanctorum Angelorum choros super eminenter evecta, singulorum titulos antecedit. Ad luminare majus ascendit luminare minus. Petrum Hieronymum audi: Beata Virgo inter cætera luminaria cœlestia Lux principalior, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, unde Eidem hæc attribuitur prærogativa: *Tenebras & ipsa tollit.* Nos in tenebris & umbra mortis sedentes illumina, quia luces terræque, Poloque; Lunæ aliàs inscribitur: *Nunquam eadem*, Huic Virgini verò subnecto: Non alia licet in loco alia, Verbis Andreæ Cretensis utar: ex quo translata es à terra, universus mundus in te continet propitiatorium, sis itaque propitia nobis quoque peccatoribus.

QUartus & ultimus Conventus Custodiæ Moraviæ est Unczoviensis, seu Neostadiensis, quando autem, aut à quo sit fundatus, sciri non potest, ob defectum antiquarum scripturarum deperditarum occasione bellorum, & irruptionum hæreticarum, quarum causa etiam aliquamdiu à Religiosis desertum, à Senioribus traditum habemus, ex post facto ibidem Patres de observantia inhabitare cæperunt, sed etiam ab illis ob defectum sustentationis desertus fuit; tandem tempore Rebellionis Bohemorum aliquis Pater Polonus nostri Ordinis se illibi recepit, & aliquod initium Conventui dedit prædicando, & proximorum saluti incumbendo, postea diversorum industriâ, præcipuè cujusdam laici nostri Fr. Lucæ famosi Collectoris, omnibus tam Catholicis, quàm Lutheranis in Silesia, Saxonia, Thuringia, & alijs hæresi infectis partibus, præsertim Nobilitati gratiosissimi successivè emersit, nunc verò operâ

operâ providorum pro DEO, & Sacra Religione Zelosè laborantium, ac laudabiliter æconomisantium superiorum cum Ecclesia verè pulchra, & ampla itâ ædificatus ,reformatus, & institutus est, ut verè in benè ordinatum Conventum exurrexerit, in quo congruè, & honestè etiam plures Fratres, accedente Eleemosyna Benefactorum sustentantur, præsertim post fundationem factam ab Admodùm Reverendo Nicolao Kreüzinger Decano loci, qui cum quodam onere dedit Conventui Capitale 4500. florenorum, à quò tempore etiam Chorus ibidem cæpit publicè persolvi, ità exigente Fundatore.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Neostadiensi in Moravia nomine Sanctissimæ Crucis condecoratæ Bartholomæi Rossi crucem figuratis testimonium sequens superaddo :

Inde Salus.

MUltuò accipio verba ex Dominicæ Passionis Præfatione : Salutem humani generis in ligno Crucis constituisti, Crux tua salus mea, quia secundum D. Ambrosium, Crux Domini salutem generi contulit humano, sit salus illi, DEUS, atque virtus, qui ex fonte Salvatoris haurit salutem à Domino, Christus in Cruce est Pelicanus in luce, ex ejus vulnere bibimus, ex vulnere salus, quemadmodùm desiderat Cervus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te DEUS, fons vitæ in Cruce, ex eo bibent omnes peccatores terræ, & adeptâ inde salute proclament sinè fine dicentes: Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.



CAPUT VI.

TErtia Custodia est Silesiæ, quæ quondam cum Polonia, & Bohemia conjuncta fuit, postea Austriæ incorporata, Anno suprà nominato, ejus primus Conventus est Oppaviensis, & quidem antiquissimus, à quo verò, aut quando erectus, præcisè sciri non potest, à Ducibus autem Oppaviensibus ædificatum credi omninò debet, nam Mieslaus secundus Nepos Mislai primi Ducis Teschinensis, & Oppaviensis, Filius

verò Casimiri eorundem Ducatuum Principis hunc Conventum, & Ecclesiam, utpote Sacræ Religioni addictissimus in ampliorem, & venustiorem formam redigisse traditur, ibidem in Ecclesiâ Anno 1243. cum aliis de eadem Familia sepultus: postea Anno 1424. hic Conventus cum aliis Religiosorum Monasteriis multas calamitates ab Hussitarum furia, nec non Tartarorum incursionibus perpessus: imò cum Conventu Monialium, ac utráque Ecclesia tunc quoque exustus fuit. Denuò Anno 1467. tota Civitas incendiô interiit, excepto nostro Conventu Sancti Spiritûs, & Monialium nostrarum ad S. Catharinam tunc vocitato; apparuit enim in aëre Sancta Clara protegens visibiliter suo pallio monásterium ab igne, à quo in perpetuam memoriam tanti miraculi mutatum fuit Nomen, & Titulus S. Catharinæ, in Patrocinium Divæ Claræ & ità usque in præsentem persistit; postmodum bellô Suecicô totô per hæresim á Brandeburgico Principe tanquam assecla, & fautore, ac simul cunctis Civibus Oppaviæ hæresi Lutheranâ infectis, miras calamitates utrúmque Monasterium Fratrum, & Sororum sustinuit, & propemodum ad ultimas miserias redactum. Factâ tamen pace egregiè emersit, unà cum Conventu Monialium, quæ etiam nunc utì Olomucenses debent se humiliare in quibusdam Episcopo, ejusque Consistorio Olomucensi. Novissimè verò nempè Anno 1689. in Majo major pars Civitatis Oppaviensis casuali incendio cum nostro ac Monialium Conventu, & utráque Ecclesia magno populi planctu consumpta fuit; nihilominus divino suffragante auxilio, uterque Conventus, cum suis Ecclesiis meris fermè Eleemosynis restauratus, imò ad meliorem formam intrà sex Annos reductus est. Terminato verò suo Provincialatu Anno 1714. P. Mag. Chrysanthus Haan veniens Oppaviam pro Superiore, & Guardiano suâ solertiâ, & solicitudine ac curâ Ecclesiam & Conventum quasi totaliter innovavit, utrumque in aliam, & speciosiorem formam redegit, Sacristiam internè novis cistis, & aliis necessariis exornavit, eandem pretiosissimis Ornatibus & multa suppellectili adauxit, Campanam magnam procuravit, quæ solet pulsari, quamprimùm aliquis moritur, ut populus pro defuncti anima oret, Conventui verò qui antea tantùm duas habuit condignationes, tertiam addidit, ubi Provincialatum cum aliis honestissimis habitationibus pro Fratribus posuit; Præterea Villam quæ pro certo annuo censu erat elocata, iterum redemit, aliaque Conventui & Ecclesiæ laudabilia præstitit, & præstare

non

non desistit, atque Conventum taliter constituit; ut ubi prius 14. nunc 26. Fratres de familia Deum laudant, & benedicunt, vivunt & aluntur partim ex predio, & aliis Annuis redditibus, partim ex collectura eleemosinæ.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Oppaviensi ad S. Spiritum nuncupatæ communico fluvium Nilum, siquidem Verbum incarnatum referente Sanctô Joanne Spiritum Sanctum flumini consimilem asseruit: qui credit in me, flumina de Ventre ejus fluent aquæ vivæ, hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant; Nilo itaque fluvio hoc addo subscriptum:

Septem discurrit in ora.

SEptem partes, in quas se Nilus diffundit exundans, suut superabundantia septem Dona Spiritus Sancti, Carolus Rancatus idipsum confirmat, & Spiritum Sanctum Nilo in septem divortia excurrenti æquiparat. Ecclesia ad S. Spiritum Oppaviæ erat paucis abhinc annis hortus, sed siccus & aridus, unde aquam; seu gratiam Spiritûs Sancti anhelans pluviam gratiarum expectavit cum gemebundo vultu ad sydera converso: inde auxilium mihi; Spiritus Sanctus gratiæ suæ pluviis ariditatem abstulit, hortum Ecclesiæ excoluit, novis Altaribus exornavit, variâ Ecclesiæ supellectile condecoravit, & eidem omnem admirabilem contribuit, beneficentiam. Maria Anna Hispaniarum Regina ex Domo Austriaca nata cum Mediolanum regiô ingrederetur apparatu, hortum conspexit cum hac scriptura depictum: *Aspirantibus Austris*; Aspirante Spiritu Sancto, qui est Dator munerum, hæc Ecclesia mirum in modum effloruit juxtà illud Cant: veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius; ad rem venit S. Gregorius: Austro flante, id est: Spiritu Sancto se infundente ubique hortus floret, & fructus redolentes producuntur; Veni itaque S. Spiritus riga, quod est aridum, fove quod est frigidum, spiritu principali confirma nos & sic omnis Spiritus laudabit Dominum.

SEcundus hujus Custodiæ Conventus est Carnoviensis etiam antiquissimus, quamvis de ejusdem Origine plenè non constet, eo quod per hæresin, & bella cuncta documenta, & literæ deperditæ fuerint, certum tamen est nostros Fratres ibidem jam Anno 1447. Domicilium habuisse, Eumque à Ducibus Oppaviensibus erectum, & fundatum fuisse

ſe indubium eſt, unde poſtea prædominante hæreſi Patres noſtri violenter ejecti ſunt, Monaſterium autem cum Eccleſia verſum fuit in granarium, armamentarium, & Domum monetariam à Brandeburgico hæretico Duce, tandem Anno 1627. emergente Catholicâ Religione, operâ Catholici Principis Maximiliani de Lichtenſtein, in Parochum, & Decanum Civitatis promotus fuit noſter P. M. Barnabas Prætorius vir digniſſimus, qui & hoc modo Conventum poſtmodum recuperavit, ibidemque primus Guardianus conſtitutus, aliqualiter eum reſtituit, aſt injuriâ temporum, bellorum, & ſæviente adhuc Hæreſi, & hæreticorum furiâ, id quod bonus Paſtor intendebat ad optatum effectum perducere, non potuit; videlicet, ut Incolas quasì cunctos hæresì ſeductos in viam ſalutis adduceret, & ſi quid fecit, tamen vertente tempore prævalentibus hæreticorum armis in priorem hæreſim populus relapſus fuit. Tandem Anno 1636. ad inſtantiam Celſiſſimi Principis Caroli Euſebij à Lichtenſtein ibidem in Parochum, & Decanum conſtitutus fuit P. M. Cornelius Ottweiler vir inſignis, qui hoc munere functus eſt usque ad mortem, nempè Annum 1679. & quidem cum uberrimo animarum fructu, ſub quo converſio Incolarum à fœditate Lutheraniſmi, ad veram Catholicam fidem feliciter ſubſecuta fuit, qui etiam interea binis vicibus Provinciæ Auſtriæ Provincialis fuerat cum laude & gloria, proinde ejus induſtriâ Conventus Carnovienſis illam formam acquiſivit ſimul cum Annuo proventu, quo multi Religioſi absque Collectura ſuſtentantur. Verum Anno 1706. hic Conventus per ignem inſcienter unde exortum in favillas conjectus eſt, nihilominus per ſuperiores, & ſibi ſubſequentes Guardianos, bonos æconomos, ſolertes providos, perſpectos, & in ſacra Religione laborioſos viros omnia denuò in meliorem, & venuſtiorem formam adauctis, & benè inſtructis Cameris pro Religioſis reſtaurata fuerunt.

Noſtræ Conventuali Eccleſiæ Carnovienſi ſub Inſcriptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Cœlos Aſſumptæ candidam tranſmitto per æthera volitantem Columbam cum Lemmate:

Candida ad candida.

CAndida, ſinè labe concepta, Candida & rubicunda, Virgo candida ad candida cœlorum regna aſſumitur, candidam imitando columbam

bam sollicitè inquirit Petram, id est: Christum in cœlis, Petra enim erat Christus, ad illud Sacri Epithalamij: Columba mea in foraminibus Petræ, in gloriosissimis foraminibus Sanctorum quinque Vulnerum nidificare intendit non absimilis columbæ Noëmiticæ frondem olivæ rostro deferentis cum Inscriptione: *Quiescam, & quiescere faciam.* Illa Assumpta quiescit in Re, nos quiescimus in spe. S. Basilius refert: Columbarios solere è columbis unam Balsamo, alioque odorifero liquore aspergere, cujus fragrantiam plurimæ aliæ columbæ copiosô sequuntur agmine cum hoc titulo: *Odorifera Odore trahit.* O Virgo gratiosissima, omni virtutum odore plenissima, cum exaltata fueris, omnia trahe ad te ipsam, trahe nos simplices ut columbas, & fac nos prudentes sicut serpentes.

TErtius Conventus hujus Custodiæ est Glogoviæ Superioris, & hic Conventus pariter antiquus est, reperimus enim quod quidam Petrus Minister Bohemiæ in superiori Glogovia locum obtinuerit pro Religione Anno 1263. ubi 1285. P. Zeslaus Minister Provincialis celebrat Capitulum in Festo S. P. nostri Francisci. Deinde Anno 1474. idem Conventus unà cum Civitate à Polonis Silesiam igne & ferro depopulantibus totaliter conflagravit, postea paccato hoste 1480. venerunt è nostris duo Glogoviam ad obtinendam antiquam in Conventu Possessionem, quem etiam novis ruderibus firmare cæperunt, singulariter adjuvante quodam P. Nicolao de Carnovia, sed subsequentes iteratæ hæreticorum invasiones, & bonorum Ecclesiasticorum lividi aggressores à subsistentia eos deturbarunt, itaque nostros sunt persecuti, ut denuò Conventum deserere coacti fuerint, qui deinde cum consensu majoris instantiæ sæcularis venditus fuit, & bona hinc inde distracta. Fuit quidem Anno 1604. demandatum à Rudolpho II. Imperatore Domino Georgio Libero Baroni de Oppersdorff, ut Conventum Glogoviensem reædificaret, & Patres Minoritas in eum reintroduceret, quod tamen exequi suspendit usque ad Annum 1628. erectoque Conventu 1630. quo per expressam Bullam Urbani VIII. cassatâ jurisdictione Patris Provincialis Bohemiæ suprà hunc Conventum Sancti Francisci, jurisdictioni Patris Provincialis Austriæ traditus fuit, idipsum solicitante Illustrissimo Domino Comite ab Oppersdorff, Cæsareæ Majestatis Consiliario, Pro-Marchione Lusatiæ, est supremo Capitaneo Ducatûs Glogoviensis Inferioris Silesiæ, qui Dominus Fundator ejusdem Conventûs

tùs meritò dici, & haberi debet, quia Conventum omninò restauravit, & liberaliter dotavit; Eodemque Anno Chorum templi perfecit, & ædiculam Lauretanam, quæ ipso Die immaculatæ Conceptionis à Rssimo Domino suffraganeo Wratislaviensi consecrata, eodémque Die ad illam maximâ solennitate statua B. Virg. ab eodem benedicta translata fuit, ubi diversas gratias devoto populo exhibuit. Anno 1644. Dominus Fundator P. Provinciali Austriæ Magistro Ambrosio Herl, Ecclesiam, Domum Lauretanam, & Conventum à se ædificatum cum fundatione tradidit, & reversales à Provincia recepit, qui Anno 1651. Die 16. Maji vivere desiit ætatis suæ 73. Annorum, cujus Cor repositum fuit ad cornu Evangelij majoris Altaris, successorem reliquit Franciscum Eusebium Patris sui pium Imitatorem, qui Capellam cæptam à Genitore suo Divo Antonio Paduano consecrandam perfecit; & sumptuosè exornavit, in eamque præter Copiosas Sanctorum Reliquias Corpus Sancti Cornelij Martyris, ac simul ante 112. Annos, Id est: A. 1540. consecratam, & Strygæ etiam inter Lutheranos cum alijs per 30. Annos illæsè conservatam parvam hostiam adhuc incorruptam ex Collegiata intulit Anno 1652. 3. Junij, quæ defactò in dicta Capella Sancti Antonij conservatur. Accessit & huic Conventui noviter Anno 1663. Dominium dictum Magnum Nimbsdorff, & Koska legatum ab Illustrissima Domina Helena Polixena Schmeskalin nata Beesin, hæc Domina nobis largissimam Eleemosynam, de Butyro, Cerevisia, diversi generis granis, altilibus, & aliis annuè præbuit, cui quoque innotuit P. M. Casparus Mahn Guardianus, & postmodum Provincialis Austriæ, qui fuit ipsi à Confessionibus, & quamvis testamentum jam pro aliis habuerit confectum, tamen postmodum pro Crucigeris Nissensibus cum rubea stella legando ipsis Dominium Kunzendorff cum cæteris appertinentibus, & nobis Dominium Nimbsdorff & Koska, aliud testamentum erexit, quod etiam ad suam solicitationem sua Sac. Cæsarea Majestas Leopoldus I. approbavit, Confirmavit; & piè demortuâ Dominâ P. M. Dominicus Hueber tunc Guardianus Glogoviensis ad Domum Provincialem admissus, primus inibi sessionem accepit. Consequenter hoc Bono habito Conventus Glogoviensis, est unus ex Principalioribus Conventibus, si bona, & perspecta inibi æconomia exerceatur, sic facilè copiosi Fratres sustentari possunt.

Nostræ

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Glogoviensi Sancto Patri Francisco Dedicatæ malleum Dono, qui ad cudendam monetam applicatus utramque illius partem, seu duplicem Effigiem unico imprimit ictu, cum hoc scriptotenus facto additamento:

Imprimit utrumque.

PRæclara hæc Divi Patriarchæ Francisci Idea est, qui Seraphino imprimente, & suam & sui Crucifixi Salvatoris in suo corpore recepit imaginem, quod totum benè advertit S. Bonaventura: hæc impressio mentem Seraphico inflammavit ardore, & Carnem Crucifixi insignivit effigie, quasì ad ignis liquefactivi virtutem sigillativa quædam impressio esset subsecuta, concordat S. Bernardinus Senens. tali liquefactus ardore, mente, & Carne totus defluxit intrâ, sculpturam vulneris apparentis JESU, & amans in amatum per vim hujus amoris est transformatus, Crucifixe Redemptor vulnera tuo vulnere Cor nostrum in uno ictu oculorum tuorum, sic vulnerati salvi erimus.

QUartus hujus Custodiæ Conventus est Loskensis, etiam unus ex antiquioribus, obtentus, & susceptus in Capitulo Znoimæ celebrato 1257. Cujus tamen fundator ignoratur, opinio vulgaris fert, ædificatam Ecclesiam in honorem SS. Trinitatis à quodam divite Mercatore, ob miraculose receptum quoddam grande Beneficium, locus hic miras calamitates perpessus est, ob irruptiones bellicas, & hæreticorum persecutiones, Fratres etiam multis Annis prædominante, hæresi Conventum hunc relinquere coacti sunt; Domitis postea majori ex parte hæreticis, etiam Ecclesia profanata cum Conventu devastato nostris Patribus restituta fuit, emergit Laus DEO nunc semper in melius, tam in externa fabrica, quàm in Religiosa pietate, nitidiorem restaurationem debet Conventus Celsissimo Principi Georgio Archi-Episcopo Strigonionsi, in quo defactò plures Religiosi partim ex Collectura, partim ex fructu prædij, & aliquali annuo censu honestè sustentantur.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Loskensi; Titulò SS. Trinitatis condecoratæ tres Soles unum splendorem emittentes affigo cum Themate:

Hi tres unum ſunt.

CHriſto in has terras recenter nato, tres Soles, ſi hiſtorijs concedamus, apparuêre, quin imò tres Soles etiam Patavij 1601. à ſe conſpectos teſtatur Abbas Fer: Dominus Areſius hanc Solis triadem his inſignivit verbis; *Unum ſumus.* Petrus Biancus ſubjungit:

Unus es, ac trinus, nutu qui concutis orbem,
Orbi unus, trinus ſufficis ipſe tibi.

EIdem Emblemati ſubduxit Lucarinus hos terminos: *Lux una, Sol trinus*, accedit S. Gregorius Nazianzenus: Lumen hoc, quod in Patre, Filio & Spiritu Sancto conſideratur, unius naturæ identitas eſt, una eademque ſplendoris proſultatio. Argumento non abſimili utitur S. Cyprianus: *Solis radij multi, ſed lumen unum*; hoc Lumine Deus nos illumina, faciem tuam illumina ſuper ſervos tuos, exoriatur in tenebris lumen rectis, ſic de tenebris & umbra mortis erepti non amplius filij tenebrarum, ſed filij lucis intitulabimur.

QUintus & Ultimus hujus Cuſtodiæ Conventus eſt Coslenſis, de quo exigua referre poſſumus, nisì quod frequenter ab hæreticis demolitus, atque ab alijs infortunijs, & calamitatibus totaliter depreſſus fuerit, imò etiam derelictus à noſtris; fundatus autem fuit contrà rabiem Wickleffitarum ab illuſtriſſimis Dominis Conrado Albo, & Conrado Dicto Lantnero Fratribus Germanis Ducibus Sileſiæ, & Dominis Coslenſibus Ordinis Teutonici; denuò fuit receptus Anno 1625. non tamen cum omnibus appertinentijs, imò fermè nudus fundus absque ullo certo proventu, quô etiam defacto caret, & ideò necdum in formam veri clauſtri eſt redactus, neque præter quinque aut ſex Fratres ibidem ſuſtentari valent, neque Provincia noſtra ſufficienter ſingulari ſubſidio ſuccurrere poteſt, potius alios ſublevans, & elevans Conventus in Nobilioribus & Securioribus locis degentes, quàm hunc ſituatum in loco deſolato, remoto, & immediatè ad ripam Oderæ, quæ excreſcens ſubinde irruit in Eccleſiam, & habitaculum Fratrum, & ſucceſſu temporis timendum, nè penetret, & alluat ipſam Eccleſiæ ſtructuram.

Noſtra

Nostræ Ecclesiæ Conventuali Coslensi in honorem Mariæ Angelorum seu Portiunculæ consecratæ pingo Scalam Jacob, Angelos per eam à terra in cœlum ascendentes cum sequenti Systemate:

Sursum Corda.

POëtarum fabula est: Protheum se in formas posse vertere omnes, Homo peccator non nisi Protheus est, in ira formam assumit Leoninam, in invidia caninam, in fraude vulpinam, in furto corvinam, in gula porcinam. Dum verò aperit oculos suos, & suam agnoscit iniquitatem mutatur in Angelum, cujusmodi Angeli in festivitate Portiunculæ per scalam Jacob sydera conscendunt ad delicias Paradisi, sursum corda de mundo immundo trahentes; Domine si vis potes nos mundare, à peccatis nostris munda nos, ut eorum possimus aggregari cætui, de quibus dicitur: Beati mundi corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.



CAPUT VII.

QUarta tandem & Ultima Custodia, est Austriæ Superioris, in qua primum locum tenet Conventus Welsensis, qui Originem suam habet ab illustrissimis Dominis de Polhaimb, scilicet: Alberone Patre & filio ejus Weickardo, excitati famâ Fratrum Minorum optima, quos primò Welsium introduxerunt Anno 1230. illosque secum in sua Arce ibidem habitare fecerunt, donec Anno 1242. Reverendissimus Dominus Henricus Abbas Lambacensis Ord. S. Benedicti Sacellum Beatæ Virginis in Civitate Welsensi situm Fratribus pro ædificanda Ecclesia, & Monasterio concesserit, quam cessionem Successor ejus Dominus Sigmarus, cum suo Conventu confirmavit, Ipsique Illustrissimi Domini à Polhaimb successivè per generationes Conventum egregiè dilatârunt usque ad Dominum Wolffgangum de Polhaimb, qui fundavit sacellum S. Barbaræ Anno 1504. Deinde 1519. fundavit sacellum S. Wolffgangi in quo eodem Anno Cor Maximiliani primi Imperatoris ibidem defuncti recondi-

conditum fuit, Corpus verò Neoſtadium translatum. Anno 1553. ablatis violenter literis & documentis è manibus Fratrum, tempore hæreſis Conventus tranſiit in Hoſpitale, ultimus Guardianus ibidem fuit Pater Auguſtinus Betauer, cui Sacerdos Sæcularis ſucceſſit pro functione Divini Officij, usque ad Annum 1625. quo ſolertiâ P. M. Accurſij Wolffwiſer tunc Miniſtri Provincialis apud Ferdinandum II. Imperatorem tantum effecit, ut Religioni ſublatus Conventus denuò reſtitueretur, aſt habita reſtitutione diu in eo ſubſiſtere non licuit ob immanem Ruſticorum à Nobilibus Accatholicis excitatam Rebellionem, quâ deinde DEI auxilio Sopitâ Anno 1626. ad quietam poſſeſſionem devenimus, viris, mulieribusque inde deturbatis, qui Domum, utpote hoſpitale inhabitabant; & licet ſpecies & decor tam Conventus, quàm Eccleſiæ omninò deperditus fuerat, attamen ſucceſſu temporis induſtriâ diverſorum zelantium Patrum, ac piorum Benefactorum munificentiâ in elegantem formam Conventus cum Eccleſia reductus fuit, adeò ut nunc inter elegantiores & locupletiores numeretur! plurimos Religioſos proprijs redditibus ſuſtentans.

Noſtræ Conventuali Eccleſiæ Welſenſi honori Beatiſſimæ Virginis Mariæ natæ inſcriptæ offero auroram ſummo matutino crepuſculo orientem, cum hoc prædicato.

Horrorem pellit & umbram:

Hæc eſt, ait Petrus Damianus, Aurora, quam ſequitur, imò de qua naſcitur Sol Juſtitiæ, nam ſicut aurora terminum noctis, & Diei principium adeſſe teſtatur ſic Virgo noctem expulit ſempiternam. Virginem Hanc Chryſippus affectu integerrimo ſalutans exclamat: Ave fons lucis ave Solis ortus, omnium optimè concludit Petrus Cluniacenſis:

Pulchrior obſcuris aurora intermicat umbris,
Pulchrior exoriens nocte MARIA micas.

NObilem Solis Filiam Auroram dixeris, quæ ortum ſuum à Sole ducit, ſed quid mirêre, eadem, Patris ſui Mater effecta, ſolem parturit eumque felici geneſi in orbis conſpectum enititur cum Emblemate: *Pario qui me parit.* Illuſtre hoc MARIÆ Symbolum celebratur: *Ego Mater DEI, eundem DEUM, à quo procreata ſum, in orbem edidi.* O MARIA!

quæ

quæ progrederisquasì Aurora consurgens, Nos de somno excita, somnolentos increpa, & si dederimus somnum oculis nostris, conoede, ut possimus dicere: Nos dormimus & cor nostrum vigilat.

SEcundus hujus Custodiæ Conventus est Lincensis, qui fundatus fuit ab Illustrissimo Dynasta Domino Eberhardo à Wallsee Anno 1236. (cujus stemma omninò extinctum est) floruitque iste à dicto ditissimo Dynasta fundatus Conventus usque ad annum 1561. quo tempore, mortuo ultimo Guardiano P. Gregorio Haselhueber, qui antecedenter Domino Decano actuali Lincensi librum fundi, literas Fundationum, cum clavibus ad Ecclesiam, & Conventum consignavit, nè in manus hæreticorum devenirent; interea Conventus noster à statibus superioris Austriæ occupatus, & sequenti Anno hæreticis venditus fuit pro 800. florenis, quæ summa dicitur fuisse deposita ad Domum Provincialem pro censu, desuper autem nostri Patres statim protestati sunt, factâ reclamatione apud Cæsaream Majestatem præsertim P. Commissarij Generalis Provinciæ Valentini de Cingulo (quamvis Pater Mathias Domitz in hoc prius ad potentem instantiam Aulæ Cæsareæ ut Provincialis consenserat, seu resistere non poterat) cujus pariter justam reclamationem confirmavit Nuntius Apostolicus Viennensis Zacharias Delphinas Episcopus Placentinus, asserendo talem venditionem esse omninò invalidam, hoc tamen non obstante prævaluit Nobilitas statuum plurimorum tunc Accatholicorum, & pusillis Fratribus abstulerunt Monasterium, quod jam dudum libenter habuissent, nam Anno 1558. à P. Georgio Guardiano conduxerunt pro annuo censu 40. floren. majus Refectorium, ut sua comitia ibidem celebrare possent, qui deinde habito ipso Conventu ex eo Domum Provincialem, & Scholam pro juventute erudienda ædificarunt: Addidit quoque Imperator nostram Ecclesiam, quam competenti beneficio ditavit; hac conditione, ut semper Divinum officium more Catholico in ea perageretur, ideò Anno 1566. ex mandato Cæsareo omnes proventus tam Ecclesiæ quàm Conventûs assignati fuerunt Domino Decano Lincensi Martino Purgleittner, ità ut quilibet Decanus subsequenter intitulatus fuerat: Cæsareus Administrator Monasterij Minorum Conventualium Sancti Francisci; Intentum verò Imperatoris à Dominis statibus non fuit impletum, qui suos Prædicantes in Ecclesiam introduxerunt, & tunc Accatholici plurimos Episcopatus, Abbatias, &

Præ

Prælaturas invaserunt, Prælatos expulerunt, & bona Monasteriorum sibi applicaverunt, imò Religiosos cujuscunque Ordinis compellebant, ut nubant, aut abeant. Reflorescente postea Catholicâ Religione tunc etiam Patres nostri pro restituendis Conventibus in superiori Austria sibi ereptis instantanter supplicâruut, præsertim cum Patres Societatis consentiente Aulâ Cæsareâ Ecclesiam nostram Lincensem statibus subtraxerant, sed quamvis Imperator Ferdinandus II. justam causam nostram agnoscens A. 1626. dictorum Conventuum restitutionem faciendam supremo Capitaneo, & statuum Deputatis demandaverit, tamen solus Conventus Welsensis, ad hoc mandatum nobis restitutus fuerat, non autem Lincensis, neque Laureacensis propter particulare statuum emolumentum, maximè ex parte Conventuûs Lincensis, cujus ædificium jam demolitum, & ex eo Domus Provincialis extructa fuerat, ideò iteratò 1640. seriò mandat Imperator restitutionem aliorum duorum Conventuum non esse ultrà differendam, post quod mandatum secuta fuit restitutio Conventus Laureacensis, & etiam Ecclesia Lincensis ablata, sine Conventu compromittendo nobis assistere velle in refabricando alio, quod tamen minimè executi sunt, imò potenter restiterunt ad præcludendum accessum, & ad habendam Lincij subsistentiam; tamen DEO adjuvante ibidem Anno 1667. prævio novo Cæsareo Decreto pedem, & habitationem fiximus, ac paulò post à Prioribus Societatis nostram Ecclesiam recepimus, emptisque duabus ædibus Ecclesiæ contiguis, perfectiùs stabiliti sumus, vi cujus Decreti ètiam Conventûs redditus, qui ante centum, & septem Annos ad manus Decani pervenerant, nobis restituuntur. Recuperavit itaque hic Conventus aliquem splendorem, pro quo restaurando etiam Inclyti Domini status notabile contribuerunt subsidium habitis Reversalibus per Sacram Congregationem ratificatis, Nos imposterum nullum jus vendicare velle nec posse in antiqum Monasterium conversum in Domum Provincialem, qui Domini etiam præsentes valde benevolos erga nos se exhibent, siquidem Ecclesiam suis expensis, pavimentô, & chorô novô exornârunt, Turrim quoque novam erexerunt, sarta tecta restaurârunt, & alia beneficia liberaliter præstiterunt huic Conventui; nunc competenter ditato pro pluribus Religiosis, maximè stante novâ fundatione Illustrissimi Domini Domini Comitis ab Herwarth. Quoniam verò hic Conventus proximam ruinam minabatur, & ex dictis dua-

duabus ædibus pro habitatione Religiosorum inordinatè, & velociter tantum institutus fuerat, sic tandem, ut omni ruinæ periculo tempestivè præveniatur Anno 1717. curâ, industriâ, & magna solicitudine P. M. Canuti Altman tunc Guardiani procurante illo cum aliis Patribus hinc inde faventes, & benevolos Patronos totus dejectus antiquus, & ex fundamento novus Conventus, secundùm omnem Regulam, cum honestissimis Cameris pro Religiosis pulcherrimè, & ordinatissimè, utì fieri potuit erectus est, ubi nunc Religiosi DEO, & Patronis gratias agunt, pariter Divinum Numen laudant, & pro Benefactoribus suis, DEUM implorant. In hoc Conventu vixit quondam Venerabilis Pater Wolterus Minorita Conventualis, qui Anno 1245. dum Danubius adhuc ponte non provisus fuerat, & ex altera parte quidam graviter ægrotus jaceret, charitate ergà proximum permotus, confidens in DEUM Siccis pedibus super, & per Danubium ambulavit, & sic huic pauperculæ animæ sacris subvenit.

Nostræ Conventuali Ecclesiæ Lincensi, persistenti sub Protectione Beatissimæ MARIÆ Virginis Annunciatæ præsento Conchylium, seu concham in littore Maris Margaritas parturientem cum titulo:

Rore puro fæcunda.

COnchylium non nisì benignos cœli radios, & crystallinas roris guttulas sinu solet excipere suo nullis unquam terræ sordibus admissis; Deipara Spiritus Sancti virtute illustrata Verbum divinum in utero, quasi in Conchylio concepit, ad propositum aptissimè alludit Hugo Victorinus: Conchylium figuram gerit S. Mariæ!, quæ accepit rorem cœlestem per Angelum: Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. Conchylio subscribitur etiam Lemma: *Fæcunda ex alto.* Mariam Virginem ab Angelo salutatam hâc Icone adumbrabis: rorate cœli desuper (en fæcundum rorem cœlestem) aperiatur terra (en Virginis consensum) & germinet Salvatorem (gemmam nimirum illam in qua omnes sapientiæ & scientiæ thesauri sunt absconditi) salutamus Te cum Angelo: Ave MARIA gratia plena Dominus tecum, sit & semper mecum cum sua benedictione, cum sua gratia, & cum sua beneficentia in sæcula sæculorum Amen.

H Tertius

TErtius hujus Custodiæ, ultimusque Conventus est Laureacensis, cujus Fundatores fuerunt Domini de Wallsee Anno 1367. qui Conventus postea Anno 1553. eandem cum Supratactis Superioris Austriæ Conventibus miseram sortem in omnibus, & per omnia subiit ab invalescente hæresi Lutherana, per quam etiam mutatus Religiosísque proscriptis in Hospitale, & à Duce Bavariæ in armamentarium conversus, Ecclesia verò ad instantiam Imperatoris Ferdinandi I. cum consensu Patris Mathiæ Tomiz Provincialis Austriæ applicatur Parochialibus functionibus, hac tamen conditione, ut reflorescente Religione Catholica, nostrisque Patribus accrescentibus Ordini denuò restituatur; contrà quam concessionem Reverendissimus P. Generalis mox protestatus fuit, nihilominùs sequenti Anno P. Georgius Lutz Vicarius Provincialis resignat Ecclesiam nostram Laureacensem unà cum Conventu Ferdinando primo, reservatâ unâ Camerâ in eo pro nostris Fratribus transeuntibus, Ornamenta quædam Ecclesiæ, & Calices remanserunt apud Ecclesiam, reliqua verò cum pretio ex Domibus divenditis, ad Domum Senatoriam Lincensem transportata, & 480. floreni summæ Capitalis ad Censum positi fuerunt, cum consensu Ferdinandi primi, qui desuper dedit literas Patri Guardiano Lincensi Georgio Hasslhueber. Tandem operante plurimùm P. Magistro Theophilo Blum Anno 1644. Conventus Religioni fuit restitutus, absque Ecclesia in Parochialem conversa, quâ deinde ex aliqua parte pro divinis peragendis post arduos labores, & magnas difficultates nobis uti concessum fuit. Nam Anno 1668. 5. Septembr. Laureaci in ædibus Domini Decani habita fuit Commissio, & amicabilis compositio inter Celsissimum Principem Episcopum Passaviensem de Thun (Titulus) ex una, & Provinciam Austriæ Ordinis nostri ex altera parte, ratione Ecclesiæ nostræ, à parte Episcopi aderat Dominus Joannes Steiner Pro-Cancellarius Passaviensis, & Dominus Joannes Baptista Engstler Decanus; à parte verò Provinciæ aderant P. Mag. Joannes Impekoven Diffinitor perpetuus, & P. Mag. Theodorus Vogt Secretarius Provinciæ, ac Honorius Hagen Commissarius Lincensis, & conventum fuit de certis articulis observandis, ab utraque parte confirmatis anno sequenti; Hoc tamen non obstante posthac inter nos & Decanos Laureacenses quædam disconvenientiæ, & lites fuerunt. Cæterùm Conventus iste nunc satis floridus, & commodus est, multos Religiosos sustena-

ſtentans partim ex Collectura Eleemoſynæ , partim ex propriis redditibus. Ibidem in noſtro Horto adhuc videntur Reliquiæ turris, ſeu Carceris, ubi Sanctus Florianus Martyr vinctus jacuit, & quondam prodigiis claruit, cujus Corpus Anno 1184. Caſimirus Dux Poloniæ noviter converſæ pro Patrono ejusdem impetravit à ſummo Pontifice.

Noſtræ Conventuali Eccleſiæ Laureacenſi in venerationem Beatiſſimæ MARIÆ Virginis ad Nives dicatæ Copiam nivium è nubibus provenientium adſero , cum hac Epigraphe :

Mihi candor ab Alto.

QUidquid Sanctitatis, Caſtimoniæ , aut Gratiæ candore candeſcit in Maria, non niſì ab alta, ſuprema, & infinita DEI bonitate ſcaturire poteſt, unde Hugo Cardinalis in illa Threnorum verba : Candidiores Nazaræi Ejus nive, ait : Nix comparatur omni virtuti, quia ſicut nix ex alto deſcendit, ſic nullus virtuoſus eſt , niſì dono ſpeciali ab altis transmiſſo , nix mundiſſima eſt MARIA cum Lemmate : *Meus eſt ab origine candor*. S. Gregorius Thaumaturgus : Tu Sancta omni humanâ naturâ purior, nive candidiorem habes mentem ; ego ſuperaddo : MARIA eſt ſuper nivem dealbata, Ora igitur O MARIA , ut qui dat nivem ſicut lanam , nos moraliter dealbando albos faciat, & Albo beatorum annumeret.

DE tribus Conventibus Monialium Sanctæ Claræ , nempè : Meranenſi, Olomucenſi, & Oppavienſi pariter antiquiſſimis hic ſeriem texere nolumus, qui ſimiliter Olomucenſis & Oppavienſis ab hæreticis diverſis vicibus in illis partibus triumphantibus , & barbarè inſultantibus extremas pertulerunt calamitates etiam ipſis Monialibus diſperſis. Anno 1418. ex reſolutione nivium in Alpibus Tyrolenſibus tanta inundantia aquarum exorta fuit , ut Conventus S. Claræ Merani perierit , & præter innumerabilia pecora circa Meranum ultrà quadringenti homines aquis ſuffocati ſint. Anno 1616. die 25. Januarij multis virtuti-

bus, & piissimæ vitæ in hoc Virgineo Conventu piè in Domino obiit Venerabilis Virgo Regina Sainin, quæ Eundem 30. Annis, ut dignissima Abbatissa Laudabilissimè, & summa pietate rexit; apud cujus Sepulchrum, cùm propiùs aliquam demortuam Virginem volunt sepelire, semper advertunt Suavissimum odorem. Anno 1669. Episcopus Curiensis litem movet Monasterio Meranensi, quod suæ jurisdictioni subjacere volebat, & ipsam Abbatissam Barbaram Lucretiam Comitissam ab Arcu, & Patrem Paulum Pfitzner Commissarium inibi publicè excommunicavit, aliaque plura pro tuendo suo prætenso jure attentavit, cui verò Pater Commissarius Provinciæ, nempè: Pater Magister Josephus Keller se strenuè opposuit & feliciter rem evicit per Cæsaris interpositam Authoritatem, ideò hucusque ille Conventus manet integrè Provinciæ subjectus, exemptus ab omni jurisdictione Episcopi, non verò cæteri duo Conventus Olomucensis & Oppaviensis, ubi Episcopus voluit uti sua Authoritate, & nullâ habitâ Resistentiâ, neque deprecatione (aliis vicibus jam facta) præsentibus suis Commissariis Consistorialibus eliguntur Abbatissæ, quem tenorem, cum aliis secundùm Concilium Tridentinum observat Episcopus. His jam declaratis, ac pro notitia Posteritatis hinc inde ex antiquioribus scriptis, authenticè collectis, revertimur ad alia particularia Conventûs & Ecclesiæ Viennensis, tanquàm primarium objectum hujus assumpti operis. Proinde sequitur:

CAPUT VIII.

Ecclesia nostra Sanctæ Crucis hìc Viennæ (uti suprà facta memoria est) laudabili pietatis Zelo, & liberali munificentiâ Ottocari Bohemiæ Regis inchoata, singulari beneficio Serenissimæ Blancæ Rudolphi III. Archi-Ducis Austriæ Consortis dilatata, & gratioso subsidio Serenissimæ Elisabethæ Romanorum Reginæ completa fuit, ac tandem sub Titulo Sanctæ Crucis consecrata, in qua etiam antiquitùs præcipuum fuerat Altare S. Crucis, quod Anno 1619. translatum fuit, ad eum locum, ubi nunc extat, remanente majori Altari sub devotione Sanctorum trium Regum, atque Sancti Leopoldi, sculptis effigiebus decenter

center, quod post inductam libertatem Religionis, Lutheranis pro suis Exercitiis nostrâ Ecclesiâ liberè utentibus, fuit cum aliis Altaribus suppressum, & tota Ecclesia ad modum Lutheranorum accommodata, ubi tunc noster pusillus grex contentus esse debuit cum Capella Sanctæ Catharinæ pro divinorum persolutione, habitâ autem illâ insigni Victoriâ Anno 1620. in Albo Monte Ferdinandus II. Romanorum Imperator statim abstulit statibus, & Austriacis libertatem Religionis, & tunc etiam ex nostra Ecclesia ejecti sunt Prædicantes & Exercitium Lutheranorum, eandem nos denuò officiando, ac juxtà vires beneficio diversorum Benefactorum Altaria erigendo, & tunc etiam Altare Sanctæ Crucis obtinuit eum locum, ubi defacto extat cum Crypta Confraternitatis, statim postea erecta Confraternitate Sanctissimi Crucifixi, nempè: 1621. (quæ etiam in principio hujus sæculi multùm floruit devotionibus fæcunda, & copiosis Nobilissimisque Confratribus repleta, quæ prima vice ad Cellas Marianas Processionem instituit Anno 1628.) habebant pariter Confratres antiquitùs solemnem Processionem die Veneris post Dominicam Passionis per publica fora flagellantium dictam quæ Anno 1674. per Episcopum Viennensem ob aliquos abusus, & excessus fuit abrogata, & inhibita, ad finem postea ejusdem sæculi eadem Confraternitas partim propter pestem, & obsidionem Viennensem, partim etiam propter incuriam quorundam sæcularium Officialium aliquantum defecit, ultimis tamen annis denuò refloruit, restauratis antiquis, & novis institutis, devotionibus erectis, ex una quoque partè ambitûs nostri stationibus repræsentantibus Mysteria Dominicæ Passionis, benevolentia diversorum Benefactorum per nostros Patres ad hoc pium opus excitatorum, quæ perfectæ fuerunt Anno 1695. & 16. Octobris in præsentia Aulæ Cæsareæ apertæ, prævia solenni Processione cum Venerabili Sacramento intrà eundem ambitum, quæ Processio jam priùs inchoata fuerat Anno 1695. 6. Januarij, in hunc finem interea ibidem collocatis Pegmatibus cum antiquis statuis repræsentantibus Mysteria dolorosa, quo anno etiam Processio in Hernals solenniùs, anno verò sequenti solennissimè, cum maximo populi concursu & applausu celebrata fuit; aliæ verò stationes repræsentantes mysteria gaudiosa, ex altera parte ambitûs erectæ fuerunt ex integro benevolâ liberalitate Dominæ Elisabethæ Gradlin nostri Conventûs singularis Benefactricis, & Anno 1697. 28. Octobris solenniter apertæ,

ac publicæ devotioni expositæ. Proinde translato Altari Sanctæ Crucis, fuit Altare majus denominatum Sanctorum trium Regum, quo postea 1637. translatum fuit ante Sepulturam Blancæ, & Altare majus institutum fuit S. Caroli Borromæi paulò post Ejusdem canonizationem aliqualiter adaptatum, donec Anno 1652. aliud magnificentius cum imagine trium Regum adorantium Christum natum erectum fuisset beneficio Illustrissimæ Dominæ Mettæ Claræ de Baldiron, natæ Baronissæ de Strollendorff, quod deinceps fuit Altare majus.

Secundum Altare fuit, & defactò est in antiquo situ S. Ludovici Episcopi Tolosani, ante quod antiquitus psallebatur usque ad annum circiter 1560. ideò in antiquis libris appellatur Chorus Sancti Ludovici, deinde prævalentibus hæreticis (utì suprà fuit memoratum) nostrâ Ecclesiâ pro suis exercitiis utentibus, & sic notabiliter diminutis Religiosis, chorus ibidem esse cessavit, interea pusillo grege sua divina persolvente in Capella S. Catharinæ usque ad Annum 1637. Ante dictum Altare S. Ludovici Sepulta est Regina Elisabetha (utì suprà) à qua illa pars Ecclesiæ cum Capella S. Ludovici perfecta fuit, pro qua erigenda etiam Serenissima Blanca testamento reliquit mille florenos, posteà hoc ipsum Altare renovavit Illustrissimus Dominus Adamus Liber Baro de Hoyos Anno 1610. ad idem constitutâ duplici Missâ in hebdomada, quod Altare ad finem Sæculi ejusden ex parte collapsum & desolatum restaurare recusavit Illustrissimus Dominus Leopoldus Comes de Hoyos in hunc finem salutatus à Superiore Conventûs Anno 1695. 14. Junij quod postea benevolè executi sunt Perillustres Domini Bartholotti, de Bartenfeldt sat magnis expensis, dotantes illud pretiosâ, & Excellenti imagine S. Michaëlis ultra 500. Florenorum æstimatâ; primumque solenne Sacrum in eodem Altari celebratum fuit Anno 1698. in Festo S. Michaëlis, Pontificante Reverendissimo Domino Joanne Ferdinando Nolthæio Prælato ad S. Dorotheam.

Tertium Altare fuit Beatissimæ Virginis MARIÆ, quod Anno 1637. in eodem loco fuit renovatum expensis Dominæ Ursulæ Burkmanin. Anno verò 1723. procurante media à Nobilitate & solicitante P. Magistro Rocho Kuchenhardt pro novo erigendo pretioso Altari in honorem S. Joannis Nepomuceni, & visitata Ecclesia ab Excellentissimo Domino Comite ab Althan Cæsareo ædificiorum Directore, nempe

nempe quô hoc Altare poni deberet, ac Ipſo judicante non fore meliorem, & aptiorem locum, quam hunc propter lucem, hinc etiam hìc erectum fuit, & prima vice, dum in Ipſius Sancti Feſto, quod hoc Anno 1723. incidit in Feſta Pentecoſtalia ſolennitas haberi non potuit, poſt octavam nempè Feria 2da poſt Feſtum SS. Trinitatis præſente Auguſtiſſima Imperatrice Vidua Amalia cum Concione de Sancto & ſolenni Sacro cantato per Reverendiſſimum, & Ampliſſimum Dominum Prælatum ad Sanctam Dorotheam ſolenniter celebratum, & ubi ſimul non tantum de mane, ſed & poſt meridiem maxima Nobilitas, verùm & copioſiſſimus populus concurrebat, præſertim cùm prima vice cum tanta ſolennitate celebratum fuerit, præſertim eo anno, quo Ejuſdem Sancti Reliquiæ Pragæ levatæ fuerunt. Hoc Altare excurrit ultrà 6000. florenos, quod & ab omnibus laudatum fuit; ut autem Beatiſſimæ Virginis Altare haberet propriam Capellam, deciſum fuit, ut illud transferatur ad Capellam Buechaimianam aſſiſtente pariter Excellentiſſimo Domino Comite de Schönborn & Buchhaim Vice-Cancellario Imperiali, qui & ideò promiſit Capellam ſuis ſumptibus velle reſtaurare, & in meliorem, ac lucidiorem formam redigere.

Quartum Altare eſt Sancti Antonij etiam antiquiſſimum in eodem loco ubi nunc renovatum ab Illuſtriſſimis Dominis de Collaldo Anno 1644. (quod jam antea erectum fuerat, ab Illuſtriſſimo Domino Remboldo Comite Collaldo) tunc verò in modum Capellæ ferreis Cratibus obductum, poſtea etiam pavimento, & Cancellis marmoreis ornatum.

Quintum eſt Altare Sanctæ Crucis de quo jam ſuprà dictum eſt, ubi antiquitùs erat Altare Sancti Patris Franciſci.

Sextum eſt Sancti Bonaventuræ cum Imagine Beatiſſimæ Virginis MARIÆ ſculpta tenentis Chriſtum paſſum, quod antea fuerat Corporis Chriſti, nunc in hac forma extructum Anno 1649. expenſis Domini Joannis Chriſtophori Redl Mercatoris Viennenſis, & ſimul Eleemoſynis à Fr. Joanne Wölffl collectis.

Septimum eſt S. Franciſci, ad primam columnam versùs Altare majus ex parte Epiſtolæ, in hunc modum erectum Anno 1642. quod antiquitùs erat Altare S. Thomæ Apoſtoli.

Octa-

Octavum est è regione hujus, dictum, Altare Conceptionis cum Imagine nunc repræsentante Familiam Christi renovatum Anno 1635. à Domino Hauer.

Nonum est S. Sebastiani (quondam Sancti Bernardini) prius erectum Anno 1616. & denuò ad elegantiorem forman reductum Anno 1701. beneficio Domini Mathiæ Ignatii Pürner cum fundatione desuper.

Decimum Altare fuit priùs immediatè ante Sacristiam, Altare Chori, sivè trium Regum dictum eò translatum (utì suprà dictum & insinuatum fuit) Anno 1637. ante Sepulchrum Serenissimæ Blancæ, quò Anno pariter auctis Fratribus novus chorus post dictum Altare, seu ante Sacristiam extructus fuit, ubi quoque erectus fuit ille Crucifixus, nunc in ambitu immediatè ad portam interiorem Ecclesiæ applicatus, in quò proinde loco deinceps persolvebantur divina usque ad Annum 1695. quô scala sancta, seu gradus sacri, admodum eorum, qui Romæ habentur, per quos Christus ad Pilatum judicandus ascendit, & condemnatus descendit, Sanctorum Reliquiis sunt pretiosi, per quos ob Reverentiam solùm de genibus homines ascendunt, pietate, & liberalitate Excellentissimæ Dominæ Comitissæ de Stratmann nata de Traun, & Abensperg Fabricari cœpti fuerunt, ac simul superius novus Chorus erigi, qui quoad fornicem perfectus fuit Anno 1695. ubi 25. Novembris primâ vice orare cæpimus, adhibitis interea antiquis sedilibus, nova enim cum pictura primò perfecta fuerunt 1696. 30 Julij in quo proinde totaliter perfecto choro primum *TE DEUM LAUDAMUS* 2da. Augusti cantatum fuit. Scala quoque sancta cum Altari superiori tanquam Sancta Sanctorum sequenti Anno 1697. optatum ultimum habuit complementum, ac prævia ejusdem benedictione peracta â Celsissimo Principe Ernesto è Comitibus de Trautsohn Episcopo Viennensi publico cultui exposita 11. Augusti Dominica 2. Mensis præsentibus Majestatibus Cæsareis, Rege Romanorum Josepho, Regina Poloniæ Vidua Ducissâ Lotharingiæ, Archiduce Carolo, aliisque tribus Archi-Ducissis, ac principali totius Urbis nobilitate innumeroque Populi confluxu; quam Scalam Sanctam primi devotè & reverenter genibus ascenderunt memorata ejusdem Fundatrix Illustrissima Dominâ Dominâ Comitissa de Traun, & Abensperg, cum Celsissimo Principe ab Eggenberg.

Hoc

Hoc tempore pariter Imago prodigiosa Beatissimæ Virginis Mariæ Peczensis fuerat ad nostram Ecclesiam solenni Processione deportata, ac in hac per quinque Dies à devoto populo diu noctuque venerata, solennitas autem Scalæ Sanctæ celebrata fuit per continuos octo dies, quotidianis cantatis sacris, ac Lytaniis cum insigni musica, ac celeberrima illuminatione, habitis quoque quotidiè pomeridianis Concionibus cum promulgatione Indulgentiarum, quæ concessæ sunt pro 20. annis plenariæ cuicunque Scalam ascendenti semel in quolibet anno, die juxtà libitum ab unoquoque sibi deligenda.

Invitatio Dimetro-Jambica
Ad conscendendam Sacram Scalam Christi Domini.

SCalam Sacratam scandite,
Mysteria Christi pandite,
Plorant gementes Angeli,
Testantur omnes anguli.
In Scala Christus promicat,
Regem Pilatus publicat,
Hebræa Gens hunc despicit,
Et nemo Regem respicit.
Nudatus est in Corpore,
Plangens in imo pectore,
Cunctis in opprobrium,
Stat cuique in ludibrium.
Cinctus Coronâ spineâ,
Et veste tectus lineâ,
Mærens ab omni spernitur,
Insons ubique temnitur.
Christum nec ullus liberat,
Pro morte quivis postulat
Jam Barabæ postponitur,
Despectus inde cernitur.

Cæsus flagellis corruit,
Nostrasque culpas eluit,
Totus madescit sanguine,
Plenus Cruoris flumine.
Infame lignum bajulat,
Tristis Joannes ejulat,
Mater reclinans concidit,
Fatum stupescens accidit.
In Monte Crux attollitur,
Clavis probrosis figitur,
Cum felle potum diluunt,
Mœrore corda diffluunt.
Salubre Cor transfigitur,
Fidele pectus læditur,
Plorans abundat flumine,
Ut nos lavemur sanguine.
Fausto potitur exitu,
Patri remisso Spiritu,
Commendat Ipse Virginem,
Pro teste mittit sanguinem.

 Adsint

Adsint fideles singuli,
Magni potentes, parvuli,
Figatis omnes Oscula,
Christi videntes vulnera.

Sacros gradus ascendite,
Delicta non abscondite,
Hæc est ad Astra semita,
Curras per ista compita.

Undecimum Altare nunc est post Scalam Sanctam cum nova Sacristia erectum Anno 1699. ac apposita Imago Beatissimæ MARIÆ Virginis, quæ quondam in vicinia, Domo aliquâ, flammis attactâ, & in cineres redactâ, hac imagine inter flammas illæsa persistente, donata fuit postmodùm Ecclesiæ nostræ; Verùm in Domino piè Defunctâ Virgine Christina Rieglerin, quæ ultrà viginti annos lecto affixa, & gravibus infirmitatibus pressa, & macerata fuit, quas infirmitates omnes semper laudando DEUM, & gratias agendo admirabili patientiâ sustulit, ipsius in sua infirmitate habitum Altare ex toto in hoc loco erectum fuit, prior autem prodigiosa imago Beatissimæ Virginis translata fuit sursum ad ambitum ante Guardianatum, ubi pariter à transeuntibus tam Religiosis, quàm sæcularibus devotè veneratur, & colitur.

Duodecimum, & Decimum tertium est Sanctorum Joannis Baptistæ, & Evangelistæ in Capella Buechhaimiana, quondam nempe 1517. erecta, & dotata à Domino Georgio Jordan supremo Monetæ Præfecto, deinde ab hæreticis dote ereptâ, Capellaque successu temporis potiori ex parte destructa, denuò ab Excellentissimo Domino Joanne Christophoro Comite de Buechhaim, Ferdinandi II. Campi Mareschallo, intimo Consiliario, & Aurei Velleris Equite, ejusque Successore, renovata, & restaurata fuit Anno circiter 1630. ac necessariis Ornamentis Altaria provisa; Anno 1673. impensis Excellentissimæ Dominæ Dominæ Comitissæ de Harrach Viduæ natæ Görgerin &c. Organum Majus erectum fuit.

Decimum Quartum Altare est S. Georgij in Oratorio Superiori, quod quondam renovatum fuit una cum illa contigua parte Claustri à Celsissima Familia Dietrichstainiana (ex Nickolspurg, utì ejusdem Insignia muro annexa denotant, & ideò hoc Oratorium vocabatur Dietrichstainianum, successivè autem appellatum fuit Cæsareum, quia

Aula

Aula Cæsarea ibidem sæpiùs suas devotiones peragebat, & ita Titulum Cæsarei Oratorij obtinuit, ubi etiam sæpiùs psallebatur, & divina persoluta fuerunt.

Decimum Quintum Altare est in Capella Ecce Homo, immediatè ante nostram Sacristiam, vel potiùs portam Sacristiæ, versùs ambitum, quæ Capella etiam est antiqua, & creditur fuisse extructa impensis Dominorum de Eckerzau Anno 1326. sicut etiam aliæ duæ in eodem Ambitu, nempè à Dextris, & à Sinistris Capellæ Sanctæ Catharinæ, quas defactò Confraternitas Sanctæ Crucis à Conventu pro suis Conventionibus, & custodienda supellectili conduxit. Prædicta Altaria plurima fuerunt consecrata à Reverendissimo Domino Jacobo Boncarpi Ordinis nostri Episcopo Imeriæ, & Decano in Oberleis, Majus autem Altare fuit Consecratum à Celsissimo Principe Domino Episcopo Viennensi. Septem sunt Privilegiata, uti patet in tabellis in ijsdem appensis, suntque renovatæ hujusmodi indulgentiæ Anno 1701. & consequenter effluxo tempore. Altare Sanctæ Crucis habet Indulgentias cum liberatione animæ ex purgatorio mediante uno Sacrificio Missæ omni Die Veneris, & tota septimana infrà octavam omnium Fidelium Defunctorum. Eandem habet Altare Sancti Antonij omni die Martis, & infrà Octavam Sancti, pro Confratribus. Tali Privilegio, & indulto gaudet Altare Sancti Francisci pro omni die Mercurij, similiter & Altare S. Ludovici pro Cæs. Prætorianis; In quadragesima verò non solum omnibus diebus Veneris Martij, sed etiam propter Stationes dolorosas in Ambitu concessæ sunt plenariæ Indulgentiæ semel eâ die, quam quicunque sibi eligere voluerit; adsunt prætereà plures plenariæ Indulgentiæ tam in Festis Ordinis, Patronis Ecclesiæ, & Confraternitatum præsertim Sanctissimi Crucifixi, & jam Anno 1612. à Paulo V. reperitur Concessa Indulgentia plenaria pro utroque Festo Sanctæ Crucis, dum necdum erecta fuisset Confraternitas, & probabile est præteritis sæculis jam fuisse Indulgentiam ob specialem titulum Ecclesiæ, licet in scriptis nihil reperiatur præter illam à Paulo V. renovatam.

Capella quoque S. Catharinæ pertinebat quondam de jure ad nostrum Conventum, à nostris in primis extructa & ad præsentem formam redacta, Anno 1298. beneficio Illustrissimi Domini Dietherici de Pillersdorff Mareschalli Provinciæ Austriæ, ubi præter Altare Sanctæ

Catharinæ erat ex parte Altare S. Barbaræ, & aliud Sanctæ Helenæ, in qua Capella nostri Patres digniores sepeliebantur, in eadem quoque repositum fuit Cor Ottocari Regis Anno 1278. ibidemque Sepultus dictus Fundator, de Pillersdorff A. 1327. 25. Decembris. Item Dominus Joannes Lavantinensis Episcopus, & Canonicus Salisburgensis 1342. Ulricus de Phamberg Anno 1354. & alij quam plurimi Insignioris Nobilitatis. Eademquoque Capella antiquitus serviebat pro Exercitiis Nostrorum, in qua à nobis adhuc possessa ultimus Sepultus fuit Illustrissimus Dominus Marcus Beck à Leopoldtstorff Eques Auratus, Ferdinandi Cæsaris Camerarius & Cancellarius Austriæ 1553. postea autem fuit pro usu Hospitalis concessa, nostris tamen Sacramenta administrantibus, & ex benevolentia superiorum portam versùs Ambitum nostrum aperientibus, ut eò commodiùs senes Viri, & Mulieres, ad nostra divina accedere possent; quomodo autem hæc Capella, & Ecclesiola S. Catharinæ ipsi Hospitali integro jure attributa fuerit, ac deinceps à Sæcularibus Presbyteris administrata, & officiata permanserit, habetur alibi latè & fusius descriptum; absolutis itaque Altaribus & Capellis, sequitur:



CAPUT IX.

IN hoc Capite describuntur memorabilia penes Ecclesiam & Conventum, & quidem inter alia magìs notabilia reperitur in Ecclesia, extraordinariæ magnitudinis CRUX, repræsentans Crucifixi Redemptoris Effigiem collocata in alto ad parietem suprà Capellam Buechhaimianam, quæ quondam natando, & ascendendo super Danubiũ contra aquæ cursum ex Oriente Vieñam (ùt in Añalibus nostris, appulit) se ipsâ propè Domum ad aureum Agnellum dictam sistens, ibiq; ità firmiter adhærens, ut à nemine avelli, & dimoveri potuerit, donec totus Clerus cum Religiosorum Cætu processionaliter advenisset, in qua levanda, quod plurium unitæ vires efficere non poterant, id unius Minoritæ virtus effecit, qui solus eandem crucem de Danubio extraxit, erexit, & usque ad Ecclesiam Cathedralem Sancti Stephani comitante Clero detulit, ex inde sequenti nocte invisibili virtute disparuit, & in Ecclesia nostra Sanctæ Cru-

Crucis reperta fuit, in eo loco ubi nunc situata conspicitur. Denuò hæc Crux Anno 1697. novo rubro serico panno, cum circumdata compage, seu lista exornata, & renovata fuit beneficio Dominæ de Scalvingnoni & Dominæ Peris.

Metrum Saphicum
De Elevatione hujus Crucis ex Littore Danubij.

Carmen admirans, refero stupendum,
Ritè proponens oculis videndum,
Plaude congaude, & jubila piorum
Turba Minorum.
Ecce Danubi celeres per undas
Christus in ligno natitat profundas.
Nullus hoc lignum potuit movere,
Nemo tenere.
Dextra cujusdam voluit probare,
Littus ascendens aliò locare,
Fecit, & movit remeans per undas
Littore mundas.
Ordinis Frater fuit hic stupendus
Qui Crucem movit, meritò colendus,
Robur accepit, Superis amatus,
Inde Beatus.
Arbor est Vitæ Crucis in figura,
Attrahit plausus removendo dura,
Appetas fructum validæ petitæ
Arbore vitæ.
Nonnè Crux fons est, veniant bibentes,
Hanc aquam multi sitiunt gementes,
Dulciter gustant, remanent sereni,
Pectore pleni.

Octo personas in aquis natantes,
Ipse salvavit Noë deviantes,
Arca nunc Crux est, homines redemi
Arca Noëmi.
Virgulam Moysis revide virentem
Tunc crucem cernes nitidè vigentem,
Virga successus varios patravit
Nosque beavit.
Mille dependent Clypei micantes
Turre Davidis nimiùm minantes
Turris hæc, Crux est, strepidos domavit,
Robur amavit.
Nunc Crucem Frater trahe bajulando,
Astra conscendes humiles juvando
Fiet hæc nobis fluidis minutis
Meta salutis.

IN ambitu vicino Eidem Ecclesiæ penes claustri portam conspicitur prodigiosum foramen, seu hiatus, per quem infernalis Spiritus quemdam pistorem (qui jam retroactis septem annis Paschalem Confessionem & Communionem contemptuosè intermiserat, quam tam facilè negligere non poterat, ad quam etiam perficiendam ab aliis conservis præmonebatur) una die septies irreverenter & temerè communicantem, eadem quoque die vita functum, & in nostro Ambitu Sepultum abripuit, ac per dictum foramen asportavit, quod pro perpetuo signo usque hodie relinquitur, tamen ante raptum priùs ab eo indigno Corpore Panis Angelicus à Patre Sacrista pro hoc munere à dæmone evocato in præsentia reverenter in Ciborium septies à tergo percusso corpore exceptus fuerat, quò verò istæ septem Hostiæ Sacræ devenerint, ignoratur; Seniores quoque observant non esse præfatum locum penes portam, per quem defuncti Corpus à Spiritu infernali asportatum fuit, sed esse in altera parte ejusdem ambitûs ipsi Ecclesiæ contigui non longè ab Epitaphio Domini Balthasaris Hauser, &

Domini

Domini Barnabæi linguarum Magiſtri, nunc versùs Altare Sancti Bonaventuræ, quod tunc fuit Altare Corporis Chriſti, ſub ſecundo Oratorio ad Eccleſiam proſpiciente, ubi cavernoſus hiatus uſque in hodiernum diem cernitur, tectus imagine, in quo etiam ante paucos annos præſente Superiore, & aliis Patribus in interiori caverna reperta fuit, quædam carnoſa & ſanguinolenta maſſa firmiſſimè muro adhærens, quæ ſuprà prunas poſita fætorem inſupportabilem excitavit, notatur tamen quòd corpus hujus infelicis Piſtoris cum magna violentia alliſum fuerit ad priorem locum.

Tragedia Jambica.

ADeſte furiæ, Tartari pateant fores
Nocens ab Aſtris ultio dabitur reo;
Venite: Pluto, Cerberus, Sathan, Canis,
Lacerate, rapite, capite, macerateque ſimul
Hominem nefandum, reprobum, impium, malum,
Inferte corpus efferum, igneum ſtygi,
Hiantia ora Dæmonum vorent eum,
Tonitrua, fulmen, ignis è Polo cadant,
Tremens hiatum adaperiat atrox humus,
Punite: pluvia, grandines, nives ſcelus.
Homo nefandus, ater, immemor, reus
Sacrata Chriſti membra ſepties ſuo
Protervus ore ſumpſit in Menſa DEI,
Malè vilipendit Hoſtiam, quasì pede
Terebat illa, Sancta quæ dici ſolent,
Minantur aſtra Luna, Sol, polus ſtupet,
Stupent maligna cælites, & Angeli.
Sathan vocatur, ut reus malum luat,
Ad hoc citantur inferi ut crement reum,
Et eu in ima tartara attrahunt eum.

Ocu-

Oculos aperite, pandite auriculas modò:
Sepulchra aperta cernitis & hominem malum
Hunc dæmones in aspera tenent manu,
Ab ore refluunt Hostiæ DEO Sacræ,
Ciborium Mysta vigil Hostiis replet.
Et ecce Corpus impetu ad stygem ruit,
Foramen extat, ex eo Corpus suum
Dæmonia detulêre ad ipsa tartara
Tremens ibidem flammeas cruces ferens,
Et visione Numinis semper carens.

ANNO 1637. erecta fuit nova sedes Campanarum, additaque est tertia, & quidem maxima consecrata in honorem Sancti Leopoldi, & Sancti Philippi, quæ primum sonum edidit, dum nasceretur Serenissimus Archi-Dux Austriæ Philippus Augustinus ex Maria Infante Hispaniarum Augustissimi Ferdinandi III. consorte, qui obiit 1639. 29. Maij posteà verò Anno 1683. durante obsidione Viennensi omnes Campanæ, præter unam Divo Antonio Sacram, unà cum Superiori parte Turris totaliter confractæ, & contusæ fuerunt (quo tempore noster Conventus, & Ecclesia majus omnibus aliis in Urbe degentibus damnum habuerunt) denuò aliæ fusæ sunt Anno 1685. & prima vice pulsatæ 14. Novembris ad primas Vesperas Sancti Leopoldi, post hoc iterum minor dicta: Campana Chori, & consecrata à Reverendissimo Domino Joanne Felice de Barnabæis Ordinis nostri Episcopo Prisserensi, & Præposito Albæ Regalis in honorem S. Joannis Evangelistæ.

ANNO 1700. & sequenti, omnes Casulæ, Ornatus, Albæ, aliaque paramenta Sacerdotalia fuerunt renovata, & deperdita resarcita, cum notabili adjuncta supellectili Ecclesiæ, alioque procurato copioso Altarium ornamento. Pavimentum autem Ecclesiæ marmoreum, cum aliquibus formatis noviter Cryptis factum fuit Anno 1698. undique illud adæquando, antea enim pars anterior multum altior, & inferior dimissior fuerat, quæ proinde elevata, & terra effossa de formatis

tis Cryptis repleta est. Tandem etiam nova sedilia erecta fuerunt Anno 1702. ante Festum Sancti Antonij, quæ Lincij elaborata, & duo millia florenorum constiterunt.



CAPUT X.

IN hoc Capite describuntur Cryptæ & Sepulturæ, quarum prima, & propria est pro Fratribus, nostrisque Religiosis sub nova Sacristia extructa Anno 1667. à Patre Magistro Ambrosio Fornatore, ante in Ecclesia, vel etiam interdum in ambitu sepeliebantur Fratres, postquàm nobis erepta fuisset Capella Sanctæ Catharinæ, in qua antiquitùs fuit Sepultura Fratrum nostrorum; ad præfatam Cryptam fuerat priùs ingressus ex meridionali parte, fabricatâ verò Scalâ Sanctâ ad septentrionalem fuit translatus, & hac occasione, parva Crypta ex ea parte sita gradibus cedere debuit, erat autem adhuc vacua, facta quidem expensis cujusdam Domini Dominici Carlon Fabricæ Magistri, quam pro se, & suis applicari voluit, sed eô mortuô, alibique ad evitandas expensas Sepulto, hæredes eandem Cryptam ratione cujusdam debiti Conventui cesserunt, consequenter illæ etiam duodecim Missæ annuè lectæ, & ab eo vivente semper solutæ, post ipsius mortem cassatæ fuerunt, unde ejus litera fundationis nullam amplius vim habet; in præfata nostra Crypta primus sepultus fuit P. M. Godefridus Dambroch ex-Provincialis, & actu Guardianus Novem-Ecclesiensis, Viennæ autem mortuus Anno 1668. die 16. Junij

Secunda Crypta parva, est priori immediatè contigua, in qua omnium primus Sepultus Fuit Illustrissimus Dominus Dominus Carolus Ludovicus de Hoffkirchen Anno 1692. die 10. Martij, nullæ autem fuerunt datæ reversales, nec contractus factus cum ejus relicta Vidua, aut Consanguineis quoad eorum Sepulturam in dicta Crypta.

Tertia est ante Scalam Sanctam versùs Altare majus pertinens ad Illustrissimam Familiam de Baldiron, in qua primus sepultus fuit Dominus Aloysius Baro de Baldiron, Dominus in Zieroditz Anno 1632. die 22. Januarij. Deinde ejusdem Filius Illustrissimus Dominus Joannes

Petrus Jacobus de Baldiron viginti unius Anni, Anno 1637. die 8. Jan. Eodem quoque Anno 24. Octobris hujus Domina Mater, & illus Conjux Metta Clara Anna de Baldiron nata Baronissa de Strollendorff in dicta Crypta sepultafuit. Hæc Familia habet super priorem columnam arma, seu Insignia versùs Altare Sancti Sebastiani.

Quarta Crypta est ante Altare Sancti Sebastiani aum Inscriptione: *Sepultura Marchionum de Caretto & Grana.* Primus ibidem sepultus est Franciscus Maria de Grana Anno 1625. die 27. Julij. Denuò Anno 1652. ibi sepelitur Dominus Franciscus Antonius de Grana: Etiam eò depositus fuit Dominus Philippus Dux de Arenberg Anno 1697. 1. Martij qui in conflictu contrà Turcas habito 1691. 19. Augusti sub Salankament gloriosè occubuit, postea huc delatus cum intentione: oportuno tempore ejus Cadaver usque in Patriam ad Sepulchrum Patrum suorum transferendi.

Quinta Crypta est inter cancellos Majoris Altaris ad Cornu Epistolæ Illustrissimæ Familiæ de Reiffenberg, ubi sepultus est Anno 1629. 15. Decembris Dominus Dietrich Baro à Reiffenberg Consiliarius Bellicus, & Colonellus Civitatis, Item sua Domina Conjux Elisabetha à Reiffenberg Anno 1639. habet suprà Columnam insigne respicens majus Altare ad Cornu Evangelij

Sexta est ante gradus majoris Altaris ex Cornu Epistolæ Illustrissimæ Familiæ de Ursenpeck, ex eadem parte respiciente majus Altare, habet Insigne in columna. Ibidem sepulta fuit An. 1655. 18. Aprilis Domina Helena Pudentiana de Ursenpeck nata de Lamberg, similiter ibi deponitur Anno 1642. 19. Aprilis Illustrissimus Dominus Andreas Wilhelmus à Brandeis, ejusdem quoque Infantes, unus Anno 1638. & alter 1643.

Septima est in eodem situ ante Altare majus ad Cornu Evangelij, in qua sepultus est Anno 1645. die 15. Augusti Illustrissimus Dominus Joannes Ambrosius Renz, Residens Flandriæ, ejus quoque Uxor Domina Florentina Anno 1654. die 6. Junij ad quam Cryptam etiam habet Jus Familia Prisigeliana.

Octava est ante Cancellos majoris Altaris in medio de Anno 1667. ubi sepultus est Fundator ejus Dominus Joannes Georgius Hartman Juris

Juris Utriusque Doctor, Syndicus Statuum Inferioris Austriæ, ejus quoque Uxor Helena Barbara cum suis prolibus; Item Domina Maria Pfallerin Vidua 1682. die 23. Augusti, similiter Domina de Chreinitz Anno 1689. die 21. Octobris, ac postea Dominus Joannes Baptista de Chreinitz Anno 1691. 7. Maji eandem Cryptam tanquam Consanguineus assumens.

Nona pariter est ante cancellos majoris Altaris, versùs Altare Sancti Francisci Familiæ de Paursperg erecta Anno 1667. ubi sepultus est Dominus Adamus de Paursperg Cæsareus Præfectus Silvarum An. 1680. die 21. Julij, & plures alii ex eadem Familia.

Decima est in eodem situ versùs Altare Conceptionis, Domini Thomæ Rödl Anno 1665. quo ejusdem Patronus sepultus fuit, & consequenter multi de ejus Familia utriusque sexûs, de quibus defactò nullus adest. In hac eadem decima Crypta fuit Anno 1721. 25. Januarij sepulta Illustrissima Hærula Maria Charlotta nata Comitissa de Stahrnberg, quæ etiam lampadem ante Altare Conceptionis fundavit.

Undecima est immediatè ante Altare Conceptionis, quæ aliis est antiquior, lapisque ejus ità attritus, ut neque Annus appareat, neque nomen Familiæ dignóscatur, in antiquioribus libris etiam nihil de ea notatum reperitur, signatur his literis: *Ant: Stampa Claven:* inqua 1689. die 26. Maji Illustrissima Domina Comitissa Sophia Isabella de Radmansdorff nata de Trautmansdorff sepulta fuit. Hanc Cryptam nunc assumpserunt Illustrissimi Domini Domini Comites de Rappach, & quidem Anno 1711. die 27. Martij.

Duodecima numeratur, quæ est Altari Sancti Ludovici contigua, & est Illustrissimæ Familiæ Hoysianæ, ubi primò sepultus fuit Dominus Joannes ab Hoyos 1561. Secundò Dominus Ferdinandus Albrecht ab Hoyos 2. Martij 1609. Tertius Dominus Adamus Eusebius ab Hoyos Anno 1640. die 22. Octobris. Quartus Dominus Joannes Albrecht ab Hoyos, Anno 1659. qui ex utrâque parte in pariete habent Insignia; quorum pariter proles præmaturè mortuæ hìc sunt depositæ. Noviter in eadem Crypta sepultus fuit Illustrissimus Dominus Leopoldus Carolus Comes ab Hoyos Anno 1699. die 25. Augusti, ante quem ibidem duo juniores tumulati sunt, unus 1684. 29. Junij, Alter

 verò

verò 1696. 28. Augusti, non minùs hic ultimus habet suum Insigne in pariete versùs majus Altare, medium inter alia duo.

Decima tertia est post Sepulchrum Reginæ Elisabethæ versùs Altare Beatissimæ Virginis Mariæ, nunc Sancti Joannis Nepomuceni Dominorum Bartholotti de Partenfeldt eorum expensis extructa Anno 1698. quô primus tumulatus fuit eorum Vitricus Dominus Ferdinandus de Cronsegg Consiliarius Excelsi Regiminis Anno 1698. die 26. Septembris.

Decima quarta est Dominorum de Albrechtsburg immediatè ante Altare Beatissimæ Mariæ Virginis, nunc Sancti Joannis Nepomuceni, cujus Fundator fuit Dominus Joannes Conradus de Albrechtsburg Syndicus Inclytorum Statuum Inferioris Austriæ, in qua sepultus fuit Anno 1696. 15. Aprilis, ejusque Conjux Catharina Helena Anno 1698. 30. Aprilis. Item Dominus Georgius Ernestus ab Albrechtsburg Secretarius Inclytorum Statuum Filius Fundatoris Anno 1699. 19. Julij. Deinde Dominus Georgius Theophilus ab Eckhardt (qui habuit Filiam Fundatoris) 1700. 30. Aprilis, multi pariter eò depositi fuerunt juniores consanguinei Fundatoris, qui specificati sunt in libro Mortuorum, & Sepultorum in nostra Ecclesia; etiam illuc deposita fuit Hærula Magdalena de Engelshaimb Anno 1699.

Decima quinta est sub ipso Altari Beatissimæ Mariæ Virginis, nunc S. Joannis Nepomuceni Dominorum de Fierenz, ubi Anno 1625. duo fuerant sepulti Militiæ Officiales Insignes, etiam Anno 1654. unus Colonellus.

Decima sexta est Illustrissimæ Familiæ Collaltianæ in Capella S. Antonij, ubi sepultus fuit 1630. Illustrissimus Dominus Rembaldus de Collalto, & alij ab eo descendentes, utì Dominus Antonius Franciscus de Collalto 1696. 7. Julij. Ejusdem quoque Conjux Domina Barbara Magdalena nata ab Althan Anno 1689. 13. Octobris, pariter altera ejus Conjux Domina Maria Theresia nata Comitissa de Strathmann 1699. 27. Julii, plures quoque proles specificati in libro mortuorum. Insigne hujus Illustrissimæ Familiæ est suprà Altare S. Antonij, & etiam in Fornice supra majus Altare.

Decima septima est ante crates S. Antonij versùs Sanctam Crucem sub Choro figurali pro Benefactoribus & Confratribus S. Francisci, & Sancti

& Sancti Antonij, extructa 1698. in hunc finem, nè amplius in Ecclesia (tunc novo marmoreo pavimento strata, & undiqúe coæquata) Sepulchra formarentur, quæ putrefactis cistis & corporibus, pavimentum depressum, & inæquale reddunt. In hac Crypta primus fuit sepultus Dominus Wolffgangus Schmidl Cæsarius nauticarum rerum Gubernator Anno 1698. 13. Septembris. Secundus Dominus Joannes Adamus Baraith 1700. 25. Februarij. Item Dominus Joannes Philippus de Brinckmann Imperialis Secretarij Filius eodem Anno 10. Martij. Item Anno 1702. 26. Decembris Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Joannes Felix Barnabæi Ordinis nostri Episcopus Prisserensis, & Præpositus Albæ Regalis Sac. Cæs. Majestatis Consiliarius.

Intrà præfatam sat magnam Cryptam sunt aliæ duæ eodem tempore fabricatæ parvæ, ex utraqúe parte ejusdem, una ad Columnam versùs Gazophylacium Sancti Antonij, quæ defactò nullum Patronum habet; altera est versùs murum, seu parietem Ecclesiæ, quam Dominus Fröschel cum sua Domina Conjuge Victoria nata de May, nostra speciali Benefactrice pro se elegerunt, in qua etiam ipsa sepulta fuit Anno 1702. 13. Martij ejus verò Maritus 1703. 2. Aprilis.

Vigesima est SS. Crucifixi pro Confratribus & Benefactoribus ejusdem Confraternitatis, quam Confraternitatem hæc nostra Ecclesia ad Sanctam Crucem nuncupata à Sede Apostolica sibi appropriatam habet, in qua etiam videtur Altare Confraternitatis SS. Crucifixi cum hac Crypta, quæ Anno 1626. erecta fuit, ubi etiam quam plurima magnæ Nobilitatis Corpora requiescunt, specificata in libro mortuorum Confraternitatis, & nostro. In hanc Cryptam pariter imposita est Venerabilis Virgo Christina Rieglerin, vera, & re ipsa dictæ Confraternitatis Soror, Sponsa suo Christo Crucifixo penitùs resignata, & desponsata, quæ per continuos viginti quinque annos, & ultrà lectô affixa, variis cruciatibus, & maximis doloribus probata, semper fidelis, & patientissima inventa fuit; Et licèt R.R. P.P. Societatis JESU in Domo Professa, qui per multos annos egerunt Confessarios, locum Sepulturæ post mortem ei savendum sponté, & gratìs in scriptis promiserint, nihilominùs tamen aliquot annis ante mortem suam sibi elegit sepeliri in Crypta nostræ Ecclesiæ apud Altare SS. Crucifixi, ad quam completo ætatis suæ Anno quinquagesimo septimo, & debito naturæ, præ-

 sente

sente suo tunc Confessario nostro P. Magist. Ægidio Päll 5. die Mensis Octobr. Anno 1705. persoluto, die 7. præfati Mensis fuit solenniter deposita, multis, & copiosis hominibus comitata, quia in vivis spirabat suavissimum odorem virtutum Civitatensibus, qui auditâ ejus morte, ità cumulatim confluxerunt ad ipsam videndam, quod necessè fuerit milites constituere pro Domo custodienda, quia manus, & digiti hujus Defunctæ Virginis omnes erant flexibiles. Magno quoque ferebatur affectu ad hanc Virginem adhuc viventem tunc temporis regnans Sacra Cæsarea Majestas Imperatrix Leopoldi I. dilectissima Consors, quæ repetitis vicibus firmiter sibi proposuit eandem in privato invisere, quod autem infirma, & humilis corde Virgo, non hominibus, sed Christo placere studens devotis precibus, & suspiriis impedivit; Ast quod non potuit assequi præfata Cæsarea Majestas tempore vitæ Virginis prænominatæ, id consecuta est tertio circiter Anno post ejus mortem, dum Illustrissimus Dominus de Lebenau speciali ductus affectu Tumbam ex Cupro pro ipsa defuncta elaborare curaret, cum hac Inscriptione: *Hic jacet Virgo quædam Christina Rieglerin*, quæ jacuit annis Viginti quinque & ultrâ lectulo continuò affixa, diversis, ac gravissimis morbis exagitata, præcipuis virtutibus exornata, quas benevolus Viator in quodam Tractatu à R. P. Germano Blume Soc. JESU conscripto, & in Bibliotheca Conventûs Sanctæ Crucis asservato legere, admirari, vel imitari poterit, *Obiit in meridie post horam decimam 5. Octobris Anno InCarnatIonIs DoMInICæ.* Hæc Translatio Corporis defunctæ Virginis, dum ad aures prædictæ suæ Majestatis delata fuisset, decrevit Sacra Majestas, & in literis ad Celsissimum Ordinarium Franciscum è Baronibus de Rumel clementissimè datis, desideravit, ut Translatio fiat in sua Augustissima præsentia, cujus Cæsareo desiderio annuens Episcopus per nostrum Patrem Rochum Kuchenhardt dictæ Majestati valdè acceptum, expetiit diem assignandam, quâ à sua Majestate assignatâ & præsente devotissimâ Imperatrice cum sola sua suprema Præfecta Excellentissima Vidua Comitissa de Vels, mandavit Celsissimus Ordinarius adstantibus P. M. Theodoro Drapal Ministro Provinciali, P. M. Ægidio Päll Confessario memoratæ Virginis, & P. Rocho Kuchenhardt Inspectore Sacristiæ, ut Corpus Defunctæ ad novam Arcam seu tumbam transferatur, quod quidem repertum fuit putridum, facies autem erat integra, sed absque cute,

ma-

manus verò incorruptæ videbantur, & fors ideò, quia hæc Virgo vivens valde erat liberalis in elargiendo Eleemosynam, tam pro vivis, quàm pro defunctis, & pro his vel maximè.

Vigesima prima est in Capella SS. Joannis Baptistæ & Evangelistæ Illustrissimæ Familiæ Buchhaimianæ facta Anno 1631. in qua sepultus fuit Anno 1640. 11. Decembris Illustrissimus Domminus Alphonsus Comes à Buchhaimb. Item 1651. 21. Januarij Dominus Joannes Rudolphus Comes de Buchhaimb supremus Camerarius Ferdinandi III. & Consiliarius Intimus. Item Dominus Christophorus Comes à Buchhaimb Ferdinandi III. Mareschallus, Intimus Consiliarius, & Aurei Velleris Eques, Fundatoris, & Restauratoris hujus Capellæ Filius, cujus piissimus Pater Sepultus fuit ad Sanctam Dorotheam apud Canonicos Regulares, necdum eô tempore Capellâ perfectâ, nec Cryptà extructâ, utì patet ex Monumento in eadem Ecclesia expresso his verbis: Illustrissimus Dominus Joannes Christophorus Comes à Buchhaimb Dominus in Göllersdorff, Mühlberg, Kirchschlag, Krumbach & Saubersdorff, Dapifer Hæreditarius in Austria Sac. Cæs. Majestatis Mathiæ, & Ferdinandi II. Aulicus Belli Consiliarius, Camerarius, Generalis Campi Provinciæ, & Domesticus tormentorum Præfectus, viam omnis carnis ingressus est die 17. Septembris Anno 1619. mente, armis, & Sanguine clarus, marte potens, veræ Religionis pius, cui proinde Superstes Filius Joannes Christophorus Comes à Buchhaimb Sac. Cæs. Majestatis Ferdinandi III. Camerarius, Consiliarius Bellicus, ejusdémque Campi Mareschallus Comaroniensis Præsidij Gubernator, hoc grati animi & debiti honoris ponit monumentum Anno 1651. Item in præfata Crypta sepultus jacet Illustrissimus Dominus Rudolphus Comes de Buchhaimb Gubernator Comorræ, qui obiit Anno 1664. Ejusdem quoque Conjux ibidem sepulta fuit 1703. 30. Aprilis Maria Theresia Comitissa de Buchhaimb, nata de Losenstein annorum 76. multæ quoque proles ex hac Illustrissima Familia in hac Crypta tumulatæ sunt, imò ante omnes alios primus fuit, Fundatoris proles 1633. & denuò 1638. in eadem quoque Capella ante extructam Cryptam sepultus fuit Anno 1471. 5. Octobris Illustrissimus Dominus Joannes de Buchhaimb Colonellus. Similiter 1531. 29. Januarij Herula Salomea Filia Domini Georgij de Buchhaimb Locumtenentis, item alia ejusdem Filia nomine Regina 1535. die 12. Augusti. Alibi quoque nota-

notatur, ibidem pariter depositum fuisse Dominum Petrum Henricum Baronem de Strollendorff Anno 1637. in Octobri.

In prædicta Capella Buchhaimiana reperitur etiam parvus locus murô obductus ex parte sinistra (quo sursum per gradus ascenditur) cum acclusa porta, ubi adest unica cista sat magna ex Cupro, & desuper scriptum, & exsculptum est: Hic intus requiescit Dominus Dominus Joannes Antonius de Peverellis Sac. Rom. Imp. Baro, & Sac. Cæs. Majestatis Ferdinandi III. & Leopoldi I. Locumtenens Colonellus Equitum &c. qui pluribus annis fidelissimè Domui Austriacæ inservivit, obiit die 6. Februarii 1665. Illuc etiam postea depositus fuit Infans circiter unius Anni, Filius Excellentissimi Domini Comitis Francisci de Oppersdorff Anno 1702. Viennæ 4. Septembris mortuus, opportuno tempore transferendus Glogoviam ad Sepulchrum Patrum suorum, sicut & eò hinc postmodùm translatus fuit Anno 1703. 18. Aprilis.

Vigesima secunda Crypta in Ecclesia est versùs mediam columnam è regione Cathedræ, in medio primæ navis extructa à potentibus Mercatoribus Dominis Zigini, in qua primus sepultus fuit Dominus Joannes Zigini Anno 1639.

Extrà Ecclesiam in ambitu adhuc sunt duæ Cryptæ, una immediatè ante portam Sacristiæ versùs Capellam Ecce Homo. Anni 1658. in qua sepultus fuit Dominus Andreas Resch Civis Viennensis, cum quibusdam suis Consanguineis.

Altera est in ipsa Capella Ecce Homo de Anno 1678. Domini Josephi Weber, & suæ Familiæ, in qua etiam ille cum utraque sua Uxore ac quibusdam prolibus sepultus fuit, utì patet ex libro Mortuorum, pariter ibi sepulta fuit (ad petitum ipsius Familiæ) Domina Maria Barbara Plascowizin cujusdam Supremi Colonelli Conjux Anno 1693. die 19. Decembris.



CAPUT

CAPUT XI.

IN hoc Capite pro Informatione Posteritatis appositi, & descripti inveniuntur, qui in hac Ecclesia Sanctæ Crucis sepulti fuerunt, solùm tamen ex principaliori Nobilitate (omissis aliis Confratribus, & Civicis Personis, ac illis qui jam specificati sunt in propriis Cryptis) qui etiam non omnes omninò ponuntur, sed interdum tantùm prior ex Familia, quæ Familiæ antiquitùs in Ecclesia vel Capella Sanctæ Catharinæ, aut etiam in ambitu habebant lapides signatos, non quidem propriis Insignibus, sed literis determinatis, ubi sepeliebantur, ex cujusmodi lapidibus nunc multi videntur situati in ambitu nostro.

Præcipui autem hic Sepulti sunt:

IMprimis Cor Ottocari Regis Bohemiæ, qui primum lapidem posuit pro structura hujus Ecclesiæ, utì suprà jam memoratum est; ut autem ratione hujus omni dubitationi præveniatur, legatur quod scribit Reverendissimus Dominus Thomas Joannes Pessina de Ezechorod Dominus in Oberzistie, DEI, & Sac. Cæs. Majestatis quâ Regis Apostolici gratiâ Episcopus Samandriensis S. Metrop. Prag. Ecclesiæ Decanus, Cathedralis Litomericensis, & Collegiatæ Regiæ, Exemptæque Wisschradiensis Canonicus, Sac. Regiæque Majestatis Consiliarius, Comes Palatinus in suo Marte Moravico parte 1ma fol. 380. ubi fusè enarratur Clades Primislai, sive Ottocari II. Regis Bohemiæ, & magna Victoria contra eundem obtenta Rudolphi I. Rom. Imper.

Præter dicti Regis Cor requiescit quoque Corpus Archi-Ducissæ Blancæ, & Reginæ Elisabeth de quibus jam suprà dictum est.

Serenissimus Dominus Albertus Episcopus Ratisbonensis ex Augustissima Domo Austriaca sepultus in nostra Ecclesia - - - - - Anno 1238.
Dominus Franciscus de Rapenfeldt - - 1264.
Dominus de Ebenthal Officialis militiæ cum suis - 1266.
Dominus Fridericus de Chemburg Colonellus - 1276.

L Do-

Dominus de Hollebrun cum ſuis - - -	1276.
Dominus Albertus de Heben Officialis Militiæ -	1277.
Dominus Marchardi de Monteforti - - -	1277.
Dominus Wolthardus de Impruck, miles - -	1278.
Dominus Joannes de Winterperg cum Uxore miles	1280.
Dominus Rupertus de Pinſtendorff miles - -	1282.
Dominus de Sperwort - - -	1283.
Dominus Jacobus de Prauneck Camerarius Ducis -	1284.
Dominus de Etzkesdorff - - -	1286.
Dominus Rempertus de Eberdorff - -	1288.
Dominus de Walchenſtein - - -	1289.
Dominus de Häzlau - - -	1292
Domina Petriſſa de Pergau & Lichtenſtein -	1292.
Dominus de Chatzenelbogen - - -	1294.
Domina de Loſenſtain - - -	1294.
Domina Agnes Comitiſſa de Hermburg - -	1295.
Dominus de Sumberth, & de Nartberg - -	1298.
Dominus de Wolffgersdorff cum ſuis - -	1300.
Dominæ Dnæ. de Gimperg, & Lichtenwels -	1300.
Domina Agnes de Walchenberg - - -	1300.
Dominus Otto de Zelking, & de Schöneck - -	1300.
Domina de Pruzendorff - - - -	1300.
Dominus de Waizenberg cum ſuis - - -	1300.
Dominus de Pruſching cum ſuis - - -	1300.
Dominus de Kergl - - - -	1302.
Dominus Ulricus de Waldmann - - -	1305.
Dominus Hager Colonellus - - -	1306.
Dominus Werner Supremus Locumtenens -	1306.
Dominus Henricus Moſer Colonellus - -	1307.
Dominus de Buttwensdorff - -	1307.
Dominus Fridericus de Magenpeck - -	1307.

Domi-

Dominus de Zizendorff - - - 1307.
Dominus de Tamberg cum ſuis - - - 1308.
Dominus de Hauzo Caſtellanus in Mödling - - 1309.
Dominus de Dietman Præfectus Equitum - - 1309.
Dominus de Welterndorff - - - 1310.
Dominus de Hierzenhoff cum ſuis - - - 1310.
Dominus de Stadlau - - - 1310.
Dominus de Tramsdorff cum Uxore ſua - - 1310.
Dominus de Khlingwerck cum ſuis - - 1312.
Dominus de Hippelſtorff - - - 1313.
Dominus Siffridus de Dobra Pincerna Provinciæ Auſtriæ, & Anna Matertera ſua - - - 1313.
Dominus de Eſſarn - - - - 1313.
Dominus de Loſenſtain - - - 1314.
Dominus de Laubenberg cum ſuis - - - 1314.
Dominus Henricus de Waldman cum Uxore - - 1315.
Domminus Wernhardi cum ſuis - - - 1315.
Dominus de Elbach - - - - 1317.
Dominus de Chaſtel - - - - 1318.
Domina Petriſſa de Lichtenſtain, & Nicolſpurg - 1318.
Dominus de Lippa - - - - 1318.
Dominus de Loher - - - - 1318.
Dominus de Harbunn - - - 1319.
Dominus de Preitenfeldt - - - 1319.
Dominus de Prun, & Uxor nata de Loſenſtain - 1320.
Dominus de Lichtemberg - - - 1321.
Dominus de Chrunberg cum ſuis - - - 1322.
Dominus Albertus de Nothafft - - - 1324.
Domiuus de Muling - - - 1324.
Dominus Erhardus, & Bernardus de Wedau - - 1324.

D. Dietericus de Pillerstorff Fundator Capellæ S. Cath. 1327.
D. Otto de Stahrnberg - - - 1328.
D. de Herbeck - - - - 1328.
D. Marhardus de Tudenhoffen - - 1329.
D. Otto de Traun Friderici Rom. Regis Camerarius 1329.
D. de Fünffkirchen - - - 1329.
D. Gibotto de Milterndorff - - - 1329.
D. Wolckmar de Grez - - - 1330.
D. de Halz - - - - - 1330.
D. Mathias de Sachsengang - - - 1330.
Dna. de Hauslin(Mater Dni. de Ursenpeck, etiam hic sepulti) quæ ædificavit superiùs Domitorium suprà Pharmacopæam - - - - 1333.
D. Joannes de Pottendorff - - - 1334.
D. Dietericus Enenchel Colonellus cum sua Uxore Veronica nata de Mezzenpeck - - 1336.
Dna. de Chronichberg à qua adest litera fundationis 1337.
Dna. Elisabetha de Pottenstain - - - 1339.
D. de Scherbrun cum suis - - - 1339.
D. Bertholdus ab Hardeck - - - 1339.
D. Baro de Weichingmühl cum suis - - 1340.
D. Christophorus de Ungnadt - - - 1340.
D. de Eckerzau cum suis - - - 1340.
D. Otto Comes de Stahrnberg ejusque Filius - 1341
D. de Eisenbau - - - - 1342
Dominus de Baumgarten cum suis - - - 1342.
Dominus Joannes Lavantien: Canonicus Salisburg. 1342.
Domina de Polhaim, & Soror sua Cunegundis de Duberth in peste - - - - - 1344.
Dominus Joannes de Dulle - - - - 1344.

Domi-

D. Joannes de Tunſik Colonellus - - - 1344.
D. de Preiſtendorff - - - - - 1345.
D. de Himperg - - - - 1346.
D. Fridericus de Tirnavia - - - 1346.
D. de Werd - - - - 1347.
D. de Wizin - - - - 1348.
D. de Hornpeck - - - - 1348.
D. Rudolphi de Rondeck - - - - 1349.
D. de Greiffenſtain cum ſuis - - - - 1350.
D de Bronſperg - - - - 1351.
D. de Malzhaſton cum ſuis - - - 1352.
D. de Egendorff - - - - 1353.
D. Comes Chimradus de Stahrnberg - - 1353.
Domina Agnes de Liechtenſtain Hungara - - 1353.
D. Ulricus Comes de Phamberg - - - 1354.
D. Albrecht Colonellus - - - 1354.
D. de Waidhoffen - - - - 1356.
Domina Anna de Chronichperg Filia Agnetis de Liechtenſtain ſuprà expreſſæ - - - 1357.
D. Wichardi cum ſuis - - - 1357.
D. Henricus de Preyſing - - - 1358.
D. de Kuenoms cum ſuis - - - 1358.
Domina Anna Hainzmanin de Schebniz - - 1358.
D. de Pfefferwein Camerarius Ducis Alberti - - 1360.
D. de Rauchenſtain - - - - 1361.
D. Chadoldus de Ekerzau Fundator Capellæ versùs Januam Conventûs - - - - - 1366.
D. de Reiſenberg - - - - 1369.
Domina Margaritha Marchioniſſa Tyrolis nominata Maultaſchin Hæres Tyrolis, quam Domui Auſtriacæ ſpontè donavit, moritur & in Eccleſia Sanctæ Cru-

cis

cis in Capella *Sanctæ* Marthæ, ubi modò eſt Altare minus B. Virginis Mariæ apud Fratres Minores ſepulta - - - - - - 1369.
D. Nicolaus de Robertis de Tyroli - - - 1370.
D. de Schutburg à quo ſunt Domus circumjacentes quoad jus fundi - - - - - - 1370.
D. Wilhelmus Comes de Monteforti - - 1372.
D. de Schaurpeck cum ſuis - - - 1372.
Domina Catharina de Hahnperg - - - 1374.
D. de Krezendorff - - - - 1375.
Domina Clara de Polhaimb & ejusdem Maritus - 1383.
D. de Pazensdorff - - - - 1384.
D. de Menzenpeck - - - - - 1387.
D. Otto de Ottenſtain - - - - - 1396.
D. de Fuger cum quibusdam ſuis - - - 1396.
D. de Lonholz - - - - - 1410.
D. Wolfhardus de Pfeffendorffer - - - 1415.
D. Jodocus Hauſer Colonellus - - - 1418.
D. Sigismundus Polhaim - - - - 1428.
Domina Walpurga de Polhaim præfati Conjux - 1454.
Dominnus Wolffgangus Epiſcopus Hypponenſis noſtri Ordinis, pro quo fundatum eſt Anniverſarium - - - - - - 1475.
D. Leopoldus Hauſer Colonellus - - - 1491.
Domina Magdalena de Trautmansdorff - - 1510.
D. Wolffgangus Irprucker - - - - 1510.
Domina Barbara Grafferin nata de Rinzing - - 1511.
Ejusdem Dominus Filius - - - - 1514.
D. Blaſius Lazarini ante Altare S. Barbaræ in Capella S. Catharinæ - - - - - 1516.

Domina

Domina Kunegundis de Wittebach - - - 1517.
Domina de Lorbach - - - - - 1521.
Dominus Erafmus de Strubenberg - - - 1521.
Dominus Engelhardus de Czewiz - - - 1524.
Dominus Georgius de Rottal - - - 1525.

Ejusdem poftea Domina Conjux nata deRappach. Hæc Familia Dominorum de Rottal habet Infigne fuprà parietem ex parte Altaris S. Sebaftiani, penes Infigne Dominorum de Rappach, & eft Crux alba.

Dominus Philippus de Wixenftain Colonellus - 1527.
Dominus Auguftinus de Villas Hifpanus - - 1529.

Ifte habet proprium Lapidem funeralem intrà Cancellos Majoris Altaris ad Cornu Evangelij.

Domina Judith à Frideshaim in Lengenfeldt nata à Blumneck - - - - - - 1539.
Dominus Cafparus Prant, à Pransek zu Kreützenstetten & ejus Uxor nata de Müllwangerin - - 1545.
Dominus Marcus Beck à Leopoldftorff Cancellarius Auftriæ - - - - - - 1553.
Dominus Fridericus Pipilius - - - - 1561.
Dominus Georgius Sigismundus Seldius - - 1565.
Dominus Nicolaus Comes de Arich Dominus in Joslawiz Seren. Ernefti Archi-Ducis Auftriæ Senior Camerarius - - - - 1595.
Dominus Marcus Antonius Reca Nobil. Florentinus - 1597.
Dominus Camillus Capifuchi Patritius Romanus - 1597.
Dominus Georgius Bafta Vallonus Generalis Cæf. Turcarum terror, Walachiæ & Rebellium Domitor - 1607.

Habet Infigne in pariete versùs Scalam Sanct. fupra noftram Cryptam & Lapidem Sepulchralem ante cancellos Scalæ Sanctæ.

Domina

Domina Maria de Tiriack nata de Tourtzoin Comitissa in Zyps, Baronissa in Wöniz, Domina in Gravenegg Betlemstorff, & Leopoldstorff. Domini Orentij de Tiriack Supremi Præfecti Stabuli Serenissimi Ducis Bavariæ Conjux. - - - - - 1613.

D. Ferdinandus de Tiriack Filius præfatorum Parentum, & ultimus hujus Nobilis. Familiæ - - 1616.

D. Henricus Dampier Cæs. Generalis, qui dum Arcem Regiam Posonij obsideret, globo tactus occubuit 1620

Viennamque advectus & hìc sepultus fuit, habet Lapidem Sepulchralem ante Altare S. Sebastiani, ejus Insigne verò est in Capella S. Antonij in columna.

D. Wipulzani, Cormoni, & Duni - - - 1623.

Habet Epitaphium in Columna ante majus Altare, ubi conservatur Aqua benedicta.

D. Janetino de Mondalto Hispanus - - - 1631.

Habet Epitaphium versùs Portam Ecclesiæ.

D. Maximilianus Comes à Waldstein Filius Colonelli ejusdem Nominis - - - 1637.

D. Marchio Comes de Malaspina - - - 1638.

D. Otto Melander Imperialis Consiliarius - - 1640

D. Fridericus Wischius - - - 1644.

Habet Epitaphium in Columna respiciente portam Eccles.

D. Comes de Fünffkirchen - - - 1647.

D. Sigismundus Fridericus de Walderod - - - 1657.

Habet Insigne in Columna respiciente Portam Ecclesiæ.

D. Philippus à Lingevillæ Mareschallus Campi - 1664.

Habet Insigne in Columna, ubi est Cathedra seu Pulpitus.

Herula Sophia Elisabeth Ratwegerin de Rittersfeldt 1681

Herula

Herula Maria Anna Bartelottin - - - 1682.
Unus Principalis Nobilis Polonus Magister Equitum
trajectus à Turcis - - - - 1683.
D. Ludmilla Holdin de Holdegg - - - 1683.
D. Gervasius Wilhelmus de Gollen - - - 1685.
Duæ Filiæ Dni. Referendarij Joannis de Eillers 1685. 1686.
D. Junior de Bartelotti - - - 1686.
Domina Regina à Franckenau - - 1688.
Dominus Franciscus à Menshengen - - 1688.
Domina Margaretha Suckin de Osterau - - - 1689.
Herula Maria Anna Bartelottin - - - 1694.
D. Josephus à Menshengen - - - - 1695.
D. Pauli Caroli Kumernick de Kleinburg Filiolus nomine Franciscus - - - - - - 1695.
D. Joannes Muslai Regius Consil. Camer: Hungar. 1695.
Serenissimus Dux Philippus Carolus ab Arnberg, qui in conflictu cum Turcis ad Salankament occubuit, & in Ecclesia nostra sepultus - - - - 1697.
Herula Susanna à Menshengen - - - 1698.
Herula Maria à Menshengen - - - 1699.
Herula Catharina à Menshengen - - - 1700.
D. Joannes Philippus de Brinckman - - 1700.
Carolus Joseph. Filius Dni. Referendarij à Menshengen 1701.
Reverendissimus Dom. Joannes Felix Sac. Rom. Imp. Comes de Barnabeis nostri Ordinis Episcopus Prisserensis, & Præpositus Albæ Regalis - - - 1702.
Virgo Christina Riglerin quæ ultrà 20. annos graviter lecto affixa, cunctis mirum Exemplum dedit pietatis, & patientiæ, in Crypta Confraternitatis SS. Crucifixi sepulta - - - - - - - 1705.
Herula Maria Antonia à Menshengen - - 1707.

Item Christianus Fridericus Filius Domini Referendarij à Menshengen - - - - - - - - 1708.
D. Michaël de Langettl. Cæs. Aulæ, & bellicus Secret. 1716.

QUalibus Cæremoniis Serenissimi Caroli Ducis Lotharingiæ, Electoris Sac. Rom. Imperij, & Archi-Episcopi Trevirensis, Episcopi Osnabrugensis hìc Viennæ in Aula Cæsarea piè in Domino demortui Intestina, Cor, ac tandem etiam Corpus ad nostram Ecclesiam delatum, & in Capella Buchaimiana depositum, consequenter iterum levatum, & ad Reverendos Patres Capucinos ad Cæsaream Sepulturam deportatam sit, ex sequenti descriptione videri possest:

Anno 1715. die 6. Decembr. in nostra Ecclesia hìc Viennæ ad Sanctam Crucem depositio facta est, Caroli piè in Domino, & quidem in Aula Cæsarea defuncti Serenissimi Ducis Lotharingiæ, Archi-Episcopi Trevirensis, Episcopi Osnabrugensis, & quondam Olomucensis, ac Sac. Rom. Imperij Electoris sequenti Ordine:

Dictâ die post horam vespertinam septimam advehebatur curru Cæsareo memorati Ducis cor argenteo scypho, intestina urnulæ æreæ lugubri tegmine contectis occlusa per Hospitale Cæsareum ad usque Conventûs nostri januam, currui insedebant bini Officiales Aulici, quique ad ingressum Monasterij è curru descendentes gestabant prædicta vasa cum Corde & intestinis, hos ad ambitum nostrum descendentes præstolabatur A. R. P. M. Guardianus Pluviali paratus cum Ministris de cæreis, thure, cruce & aqua benedicta, indè, Corde intestinísque aspersis, incensatis, precibúsque desuper dictis, comitante copioso Patrum Fratrúmque nostrorum, ac ingentis populi numero, ad Capellam dictam Buechhaimianam processum est, ubi denuò aspersione, & incensatione factâ, preces funebres iterabantur, acceptáque vasa P. M. Guardianus super elevatum, pannóque funerali contectum pegma collocaverat, dictóque Psalmô: *De profundis*, cum Clero recessit. Effluxâ horâ adducebatur Corpus, quod ad Conventûs januam feretrô superpositum, lugubri, aurô tamen, pretiosè intexto holosericeo tegmine velatum est, feretrum ornabatur argenteâ Crucifixi effigie, Ducali Pileo, & Episcopali Insula, à sinistris Pastorali, & à dextris Gladiô appensis,

tandem

tandem ad antenominatam Capellam ordinatè proceditur Officiante Reverendissimô Domino D. Josepho Braitenbucher (Tit.) Viennensis tunc Episcopi in Spiritualibus Vicario Generali & Officiali, cui assistebant Cæremoniarius sacrique Ministri Aulici, Aulæque Cæsareæ Capellani Pluvialibus parati, unô ex nostris Clericô indutô Dalmaticâ Crucem præferente, ac quatuor Ephebis Cæsareis secùs ferettum faces gestantibus; Ubi funeralis Processio cum luminaribus accensis ad dictam Capellam devenisset, tumba super jam memoratum pegma sub continuo concentu Aulico inter Ducalem Pileum & Gladium à dextris, interque Infulam & Pedum à sinistris deponitur, atque desuper inter Cordis, intestinorumque vasa Imago Crucifixi locatur; Ambitus, quos funus transiit, sicut & Ecclesiæ ac Capellæ nigris vestita Altaria, facibus atque luminaribus illustrabantur copiosis. Benedictione à Reverendissimo Domino Præposito aliisque Cæremoniis Actis, in Præsentia Ministrorum Cæsareorum, Aulæque Officialibus Magnâ Insuper Nobilitate, incredibilique concursu Populi Celsissimus Princeps Antonius de Lichtenstein Sac. Cæs. Regiæque Majestatis Supremus Aulæ Præfectus extradidit nomine Suæ Cæsareæ Regiæque Majestatis P. M. Guardiano inauratam clavim ad tumbam, cum mandato, ut præfatus P. M. Guardianus neminem in Capellam præter celebrantem intromittat cum Ministro, quando Missa inibi celebratur. Præter duo actu in Capella existentia Altaria quoque demandatum fuit, ut & tertium erigatur, & quot possunt ibi missæ celebrari, celebrentur quotidie; quod altè memoratum Corpus cum Corde & Intestinis Serenissimi Principis, & Ducis perstitit in Capella Buchhaimiana usque ad 11. Januarij 1716. quâ die in silentio circa horam 10 noctis Corpus cum Corde & Intestinis comitantibus duobus Minoritis devectum, & R.R. P.P. Capucinis extraditum est, antequam verò è Capella levarentur, & deportarentur, P. M. Guardianus cum duobus Ceroferariis, Thuriferario & Ministro de Cruce peregit cæremonias ad modum, quô funera solent ad nostram Ecclesiam assumi, & dum Corpus cum cæteris à nostris Sacerdotibus solùm Stolis amictis, ad jam paratas & in area Hospitalis stantes Rhedas delatum fuisset, inter deferendum ab omnibus Religiosis comitantibus, Psalmus Miserere, & De profundis orabatur; Peracta denuò Benedictione, Aspersione, & Incensatione, ac imposito corpore cum cæteris recessum fuit orando Psalmum De profundis cum aliàs consueta Ora-

 tione,

tione. Cortinas, & Pannos, cæteraque ad humillimam nostram Supplicationem Sua Cæsarea Regiaque Majestas clementissimè Conventui donavit.

Reverendissimus Dom. Wolterus Schoppen de Juliaco Episcopus Macariensis Ord. nostri - - - - - Anno 1717.
Herula à Menshengen - - - - - 1717.
D. Nicolaus Eckhardt Domini Comitis Colaldo Aulæ Præfectus qui in suo Sepulchro in Ambitu ad portam Ecclesiæ ad primam Stationem habet hanc Inscriptionem: *Hic jacet Homo peccator, ora pro eo, ut absolvatur à peccatis* - - - - 1718.
Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus Domin. Carolus Ernestus Comes & Dominus de Rappach (Tit.) in nunc propria assumpta Crypta - - - - - - - - - 1719
Illustris. Herula Maria Carolina nata Comitissa à Stahrnberg. 1724
D. Joanes Eberhardus Nebl de Tirckenhainb Cæs. Postæ Præfectus Græcij, qui in nostra Eclesia Apoplexiâ tactus, mortuus & sepultus fuit - - - - - - - - 1722.
D. Franciscus Wildericus à Menshengen Sac. Rom. Imp. Eques nec non Cæs. Bellicus Consiliarius, & Referendarius - 1723.

Ex Illustrissima Familia de Rappach in Capella S. Christophori, aut penes eandem post Altare S. Sebastiani antiquitùs sitam sepulti sunt:

Dominus Henricus Senior de Rappach - - Anno 1353.
Ejusdem Conjux Domina Agnes - - - - - 1358.
Dominus Henricus Junior de Rappach - - 1386.
Ejusdem quoque Conjux Dna. Catharina de Pottenman - -
D. Christophorus de Rappach - - - - - 1394.
Ejusdem quoque Filius Dominus Christophorus - - 1422.
D. Martinus de Rappach - - - - - - - 1433.
D. Georgius de Rappach insignis Miles - - - 1445.
D. Christophorus de Rappach - - - - 1478.
D. Joannes de Rappach - - - - - 1482.
D. Christophorus de Rappach - - - - - 1485.

Ejus-

Ode funebris

In Personas defunctas, & in Ecclesia nostra tumulatas.

JAm nè ergo, manes, vestra brevissimæ
Spectata vitæ fabula transiit!
ex ære conflata supellex
& feretri brevis arca restat.
At nemo de tot millibus alteri
antiqua turbat jura, nec invidet;
hic Civis accumbit Civi
hic varios capit urna Fratres.
Mirare Vates! tu stimulum DEI
attentè senti, hìc messis in horreo
hìc Sanctus incumbit probato
fors vitium jacet atq; virtus.
Jacete porro tetra Cadaverum
implenda miris ossa tripudijs
votique vestri participes in
purpureum relocanda cœlum.
Rumpenda nullo Carmine surditas
rumpetur illa nubivagâ tubâ
qua per sepulchrorum cavernas
Ceu tonitru quatiente terram.

Vox audietur : Surgite mortui
repente surgent, castus ad aurea
tunc agnus exultabit astra
inde malus trepidabit hircus.
Forsan moventur ? sistite Palladi,
tantisper umbræ; sistite, buccina
donec supremæ clangat horæ,
quisque suo latens in sepulchro.
Exsurge Fatum : jam citò emicat
extrema mundi purpurea dies.
disjunget acta, ô quis gelatos,
insolitus quatit horror artus.
Exsurge fatum : sistite mortui
ter de profundis, quod bene sospitet
nunc referam linguâ, miserebor
Davidicâ miseratus Odâ.
Vos nunc aspergo fonte, nunc alteram
Lucem precatus clamo : quiescite,
fortuna mortalis peracta est
vestra, manet peragenda nobis.

Requiem æternam Dona Eis Domive, & Lux perpetua luceat Eis, vixistis & nunc in æternum vivite beati, quia

Virtus nescit humi sordida repere,
Virtus alta ferit sidera vertice,
Virtus efficiet vos superis pares,
Virtute vos majores habebimini,
Quà vestra vivit post funera virtus.

CAPUT

CAPUT XII.

In hoc Capite habetur Specificatio & Cathalogus Provincialium Provinciæ Auſtriæ.

PRimus omnium Germaniæ Provincialis fuit B. Cæſarius de Spira, Secundus Beat. Albertus de Piſa. Tertius Simon Anglicus. Quartus P. Joannes de Plano uſque ad Annum 1230. quô annô in Actis Capituli Generalis reperitur inſtitutus Provincialis Pater Conradus de Marpurgo.

In Prima Diviſione Provinciarum, etiam Auſtria proprium accepit Provincialem, non eſt autem certum an aliquis P. Joannes Lombardus, aut alius hoc munus exercuerit, cum in antiquioribus ſcriptis, præter hunc Provinciæ Superiorem nullus ſpecificatus reperiatur usque ad Annum 1269. quo Anno factus eſt Provincialis Pater Conradus de Vienna, qui ſex annis gubernavit Provinciam, mortuus Viennæ - - - - - - - - - - - Anno 1278.

Anno 1275. P. Albertus de Haimburgo ſex annis gubernavit Provinciam obiit poſtmodùm Viennæ - - - - 1312.

Anno 1281. P. Martinus de Crembſa novem annis, poſtea factus Confeſſarius Archiducum, obiit - - - - 1318.

Anno 1290. Pater Henricus de Welſperg viginti annis, obiit Viennæ - - - - - - - - - - 1310.

Anno 1310. denuò P. Albertus de Haimburgo ſex annis, obiit Viennæ ut ſuprà - - - - - - - -

Anno 1316. P. Henricus de Ratisbona tribus annis, obiit Viennæ 1349.

Anno 1319. P. Conradus de Gôttwigo ſeptem annis, obiit Viennæ - - - - - - - - - - - 1331.

Anno 1326. P. Gibotto Confeſſarius Archi-Ducum ſex annis, obiit Viennæ - - - - - - - - - - 1335.

Anno 1332. P. Martinus de Crembſa Junior, tribus annis, obiit 1338.

Anno 1335. Pater Sigefridus de Wallenbach ſex annis obiit Viennæ - - - - - - - - 1355.

Anno 1341. P. Joannes de Tullna tribus annis, obiit - - 1356.

Anno 1344. P. Ulmannus tribus annis, obiit Viennæ - - 1348.

Anno

Anno 1347. P. Henricus de Ratisbona 2do duobus annis, obiit Viennæ - - - - - - - - - 1349.

Anno 1350. P. Joannes de Linz sex annis, obiit Viennæ - 1358.

Anno 1356. P. Conradus Spizer novem annis, obiit Viennæ - 1380.

Anno 1365. P. Burchardus de Neostadio decem annis, obiit Viennæ - - - - - - 1380.

Anno 1375. P. Simon de Vienna quindecim annis, obiit Viennæ - - - - - - - 1398.

Anno 1390. P. Joannes de Merano novem annis, obiit in Seitz factus Carthusianus - - - - - 1440.

Anno 1400. P. Jacobus de Clusa sex annis, obiit Viennæ - 1431.

Anno 1406. P. Nicolaus de Carnovia quatuor annis, obiit - 1426.

Anno 1410. P. Joannes de Merano 2do sex annis obiit ut suprà -

Anno 1416. P. Jacobus de Clusa 2do decem annis, obiit ut suprà -

Anno 1426. P. Joannes de Tullna novem annis obiit Viennæ 1457.

Anno 1435. P. Sigismundus - tribus annis obiit Viennæ 1459.

Anno 1438. P. Dietericus - sex annis, obiit Viennæ - - 1460.

Anno 1445 P. Georgius de Berna sex annis, obiit Welsij - 1494.

Anno 1451. P. Petritius Coma novem annis, obiit Viennæ - 1500.

Anno 1459. P. Wolffgangus Puchler sex annis, obiit Viennæ 1475.

Anno 1466. P. Georgius de Gratz tribus annis, obiit - 1479.

Anno 1469. P. Wolffgangus Puchler 2do sex annis obiit ut suprà, hic fuit Episcopus Hipponensis, Parochus in Himberg, & Concionator Aulicus sepultus ante majus Altare ut suprà - -

Anno 1476. P. Wolffgangus Wagner quindecim annis, obiit Stainæ - - - - - - - - 1509.

Anno 1491. P. Oswaldus Macherleitter 15. annis, obiit Welsij 1534.

Anno 1507. P. Theodoricus Kramer 23. annis, etiam tanquam actualis Episcopus Neostadiensis gubernavit Provinciam, atq; Ecclesiæ Viennensi, & Conventui multa bona præstitit, obiit Neostadij - - - - - - - - - 1530.

Anno 1530. P. Petrus Coma 3. annis, obiit Stainæ - 1543.

Anno 1533. P. Udalricus Breiner 4. annis, obiit Viennæ - 1556.

Anno 1537. P. Sigismundus Gartner 4. annis, obiit Viennæ 1548.

Anno 1542. P. Georgius Lutz 6. annis. obiit Viennæ - - 1558.

[illegible] Anno

[illegible] 1491 [illegible]

Joannes de Camerino [illegible] [illegible]

[illegible] 1500. [illegible]

Anno 1548 P. Mathias Thomiz Provincialis Styriæ & Auſtriæ, ob perſonarum penuriam, ſub cujus gubernio per ſex annos utrobique multi Conventus, & bona immobilia, vel ad Principum inſtantiam, vel Hæreticorum tunc prævalentium inſolentiam ab alienata fuerunt, obiit Petovij - - - 1559.
Anno 1554. P. Georgius Luz Vicarius Provincialis. - -

Sequuntur Commiſſarii Generalium & Provinciales Itali.

ANNO 1559. P. Valentinus de Cingulo, poſt novem annos reverſus in Italiam.
Anno 1568. P. Lucas de Filotrabe qui quarto anno abſolutus fuit à ſuo Officio, & ſucceſſit
Anno 1572. P. Ludovicus Panza, ſex annis, obiit Stainæ - - 1579.
Anno 1579 P. Joannes de Guardinia 9. annis, redivit in Italiam.
Anno 1588. P. Hieronymus de Tolentino ſex annis.
Anno 1594. P. Joſephus Melvitanus præfuit ſex annis.
Anno 1600. P. Stephanus Venuſius, cui poſt tres annos ſucceſſit.
Anno 1603. P. Joannes Baptiſta Civali, qui paulò poſt reſignavit, factus deinde Olomucij Suffraganeus, & locò ejus ſubſtituitur.
P. Petrus Paulus Joanelli de Reate, qui quatuordecim annis Provinciam rexit.
Anno 1617. P. Michaël Meſerotti de Bononia tribus annis ſimul fuit Guardianus Viennenſis, poſt illum fit Commiſſarius.
P. Cæſar Nardus de Montepoli Concionator Aulicus, poſtea venit in Auſtriam ipſe
Reverendiſſimus P. Generalis Jacobus de Bagnacaballo, à quo incipiunt nova Acta Capitularia; tunc ob injurias temporum non plures erant in tota Provincia quam 37. Religioſi.

Sequuntur Commiſſarij Generalium & Provinciales Germani.

Anno 1622. P. Mag. Accurſius Wolffwiſer Ratisbonenſis, qui Viennæ moritur - - - - - - Anno 1628.
Anno 1625. Inſtituitur Provincialis P. M. Clemens Widmaër, obiit Alpernæ - - - - - - - - - 1651.

N

[illegible]

Anno

Anno 1628. Electus est Provincialis P. Bonaventura Manhardus Helvetus, qui pedester visitavit Provinciam, obiit Valdunæ 1646.
Anno 1631. P. Arnoldus Birchman Coloniensis 2do anno obiit 1632
Anno 1633. P. Jacobus Merle Trevirensis 3. annis, obiit Viennæ 1638.
Anno 1636. P. Henricus Dens Bonensis 3. annis, obiit Viennæ 1656.
Anno 1639. P. Cornelius Oitweiler Bonensis 3. annis - -
Anno 1642. P. Ambrosius Herl Coloniensis 4. annis, obiit Vien. 1647.
A. 1646. P. Pancratius Kitzelius Austriacus 3. annis obiit Aspernæ 1662.
Anno 1649. P. Cornelius Oitweiler 2do 3. annis, obiit Carnoviæ 1679.
Anno 1652. P. Ambrosius Fornator Viennensis 3. annis, obiit Vien. 1675
Anno 1655. P. Godefridus Dambroch Coloniensis 3. annis, obiit Viennæ - - - - - - - - 1668.
Anno 1658. P. Bernardus Guilielmi Westphalus 3. annis, obiit. 1666.
Anno 1662. P. M. Ambrosius Fornator 2do obiit ut suprà
Anno 1665. P. M. Josephus Keller Viennensis 3. annis.
Anno 1668. denuò P. M. Josephus Keller, Comissarius General.
Anno 1670. P. M. Eustachius Weyrlehner Meranensis, qui 4. Mense sui Provincialatûs, obiit Viennæ. - - 1671
Anno 1671 P. M. Casparus Mahn Silesius, semialtero anno. Viennæ obiit in Januario - - - - - - 1673.
Anno 1673. P. M. Nicolaus Haffner Viennensis 3. Annis.
Anno 1676. P. M. Isaacus Sontag Carniolus 3. annis, obiit Welsii 1684.
Anno 1679. P. M. Nicolaus Haffner 2do 3. annis
Anno 1681. P. M. Dominicus Hueber Bavarus, rexit Provinciam tempore obsidionis Viennensis 3. annis, obiit Stainæ - - 1700.
Anno 1684. P. M. Nicolaus Haffner 3tiò 3. annis, obiit Lincij 1715.
Anno 1687. P. M. Franciscus Keller Viennensis 3. annis, obiit Wimpassingæ - - - - - - - - - - 1698.
Anno 1690. P. M. Josephus Keller 3tiò 3. annis, obiit Viennæ 9. Octobris - - - - - - - - - 1696.
Anno 1693. P. M. Philippus Jacob Viennensis 3. annis, obiit Olomucij - - - - - - - - - - 1714.
Anno 1696. P. M. Andreas Schwellengriebl Silesius, multis annis Philosophiæ Lector, Studiorum Regens, celeberrimæ & antiquissimæ Universitatis Viennensis Doctor, ac anno 1704. Ejusdem Decanus; 3. annis.

Anno

Anno 1699. P. M. Elias Winckler Silesius Oppaviensis, Regens Studiorum, Doctor Romanæ Sapientiæ, ac celeberrimæ Universitatis Viennensis, 3. annis, obiit Iglaviæ - - 1714.
Anno 1702. P. M. Jacobus Schuller Moravus Olomucensis in plurimis Conventibus Philosophiæ & Theologiæ Professor emeritus 3. annis, obiit Stainæ - - - - - - 1714.
Anno 1705. P. M. Theodorus Drapal per obtentum duplex Breve Apostolicum rexit Provinciam sex annis, Moravus Senizensis, Lector Philosophiæ, & Theologiæ moralis.
Anno 1711. P. M Chrysanthus Hahn Silesius Oppaviensis, Professor Philosophiæ, & Regens Studiorum, 3. annis - -
Anno 1714. Denuò P. M. Andreas Schwellengriebl, Commissarius Generalis, spontè post 15. Menses resignavit obiit Viennæ 10. Septembris - - - - - - 1721.
Anno 1715. In fine Septembris P. M. Antonius Veyel Austriacus Viennensis per Breve Apostolicum, verùm sequenti anno 1716. die 4 Decembris obiit Welsij, vacante Provincialatu septem mensibus ùt Commissarius Generalis rexit Provinciam P. M. Ægidius Päll Austriacus Lincensis.
Anno 1717. P. M. Constantinus Heiss Concionator & Lector, Austriacus Novem-Ecclesiensis 3. Annis.
Anno 1720. P. M. Raymundus Hoffman Multis annis Concionator emeritus Moravus Iglaviensis, tribus annis
Anno 1723. P. M. Maximilianus Sigel Moravus Olomucensis Concionator, Philosophiæ & Theologiæ Lector, Professor Juris Canonici, & Studiorum Regens, nunc actualis Provincialis.

Fama Poëtica prærogativam R.R. P.P. Provincialium Almæ Provinciæ Austriæ solemni ritu decantans.

Acta, Virosque cano, celebris quos fama notavit,
Austria quos stupuit, carmine promo Viros.
Monstro Viros magnos (quamvis de sorte Minorum)
Nam qui magna gerit, nomine magnus erit.

Laudibus Austriacos Provin - decanto - ciales,
Qui digni cedris, indigitabo Viros.
Conradum, Henricum, Martinum cerne peritum,
Doctores miros doctus Apollo dedit.
Quilibet Istorum tunc scibile noverat omne,
Sciverat omne novum, noverat omne probum.
Prodeat Ulmannus, Sigefridus, & ipse Gibotto,
Veræ Virtutis quisquè Columna fuit,
Nec Pietas, studiumque Viris nec defuit ullum,
Vel Plato testis eat, vel Philo testis erit.
Adsit Burchardus, Simon, adsitque Joannes,
Fortes, Zelosi, magnanimique manent.
Non fuerat virtus, quâ non vixêre decori,
Emeriti in cunctis, præmia digna ferunt.
Cerne Sigismundum, Nicolaum cerne Jacobum,
Omnes insignes præcipuique Viri,
Justos, prudentes, celebres, mirare Sagaces,
Horum vita tacet, sed bona fama placet.
In Lucem veniat Wolffgangus, Dietericus,
Hicè Viri patriæ Relligionis erant.
Nomine, justitiâ, Lauro, pietate nitentes,
Conspiciendus erat merus & ipse decor.
En Theodoricum, Petrum, Oswaldumque videto,
Justos, clementes, nonnè videbis Eos?
Dices maturos, constantes atque modestos,
Hæc post illorum funera fama viget.
Tange Valentinum, Ludovico jungito Lucam,
En probitate graves, & gravitate probos.
Enumera Hieronymum, Paulum Stephanumq; vocato,
Mirando quivis pectore mira tulit.

Cæsa-

Cæsareum Nardum, Michaëlem, conspice plures,
Grandes boscè Viros Itala terra dedit.
Advenient pariter Clemens, Accursius, ambo
Sunt Fundatores, sunt Patriæque Patres.
Arnoldus Birchmann, Jacobus Merle fatentur
Se Fratres inopes accumulâsse bonis.
Dignus & Ambrosius, Cornelius ac Godefridus
Hos superi dignè nunc super astra ferant.
Unus Josephus Keller complectitur omnes,
Hic Nux Iliados, suave potensque Caput.
Vixit Cæsareo Leopoldi dignus amore,
Cuî Pottenstainæ tradita cura fuit.
Caspari, Eustachij, Nicolai, suntque secuti.
Plures conspicui, magnanimique Viri.
Dominicum haud taceo, Franciscum necne Philippum?
Quilibet istorum Nobile Nomen habet.
Totus in Andream, totus mea lumina verto,
Vir doctus, prudens, Vir Vigil, atque probus,
Doctorum in medio consederat iste Decanus,
Quæ docuit, fecit, Lemmate dignus erat.
Jacobum, Eliam, nec tento silere Chrysanthum,
Chari sunt multis, queîs DEUS ipse favet.
Jam Constantinum, Raymundum nolo tacere,
Ambos conservet, qui regit astra, DEUS.
Vos tandem Superi defendite Maxmilianum,
Non nisì qui pacem, cordaque chara petit.



CAPUT

CAPUT XIII.

De Magnifico Apparatu Solemnitatis in hoc JUBILÆO celebratæ.

IMpleta sunt tandem non Conventûs nostri Viennensis duntaxat, sed totius nostræ Provinciæ Austriacæ prolongata hucusque desideria, posteaquàm currente hujus Anni circulo Centum Lustra, seu quingentas Aristas, vel ut in clara luce meridiana loquar, faventibus superis revolverunt Cœli quinque Sæcula, per quæ Sacra nostra Religio Fratrum Minorum Conventualium suam nunquam interruptam Viennæ habuit subsistentiam; sic anhelata nostra gaudia Universo voluimus esse communia, & die 22. Octobris cum subsecutura octava, celebritate indictâ, splendidissimo proùt licuit, apparatu tam Ecclesiam interiorem, quàm exteriores ejusdem duplicatas fores quibusdam conceptibus exornavimus. Ecclesiam Ingredientium implebat oculos Altare Majus, quod sexaginta pedes geometricos altum, & triginta duos pedes conspiciebatur latum, ubique penicillô opus Gothicum imitante floridum, ab Artificiosis gemetrico-peritis Pictoribus cum intermixtis columnis, lemniscis, Figuris, Geniis, & variis musicalibus Instrumentis cernebatur coloratum. Apex hujus structuræ constabat Pileo Archi-Ducali, & simili paludamento ex ambabus partibus largè diffuso in Signum publicum eò, quod hæc nostra Ecclesia à Serenissimis Ducibus Austriæ Babenbergensibus fundata, & ab Archi-Ducibus Austriacis Habspurgicis hactenùs gratiosissimè fuerat protecta. Hoc Altare tribus gradibus innixum Sanctorum Reliquiis, & numerosis illustratum Luminibus in medio primæ Condignationis repræsentabat LEOPOLDUM hujus Nominis Gloriosum; Hic bellum contrà Saracenos præfixit ineundum, palmam deportaturus mente volvens, revolvens ajebat intrà se: *De*b*e*LL*abo ego* V*os* I*n* M*an*V eXt*enta & * I*n br*aC*h*I*o fort*I. *Jerem. 21. cap. vers. 5.* Hæc ecce cogitatio felicem fuit sortita eventum, cogitatum, in actum redactum, dictum, factum, pugnatum, & demum triumphatum est; obtenta hac Victoria ex Palæstina rediens magnam famam de Venerabili Servo Francisco non minùs per Italiam, quàm Orbem propè universum jam diffusam

perce-

perceperat, Reginam de Saba imitaturus, quæ audito famoſo Salomonis nomine itineri ſe accinxit, eoque cum ſtupore viſo tandem faſſa eſt: non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nuntiata non fuerat, quia major eſt ſapientia tua, quàm rumor, quem audivi; Hæc Regina de Saba de ſapientia Salomonis, & his ſimilia expertus eſt LEOPOLDUS Glorioſus de paupertate Franciſci, tota hujus Viri ſubſtantia erat paupertas, *SVbſtantIa InopIs seCVnDVM Cor eIVs. Eccleſ. 38. cap. verſ. 20.* Hanc extremam indigentiam obſtupeſcens agnovit hic plùsquàm Salomon utpote effigiem Chriſti repræſentans, ſiquidem nec Salomon in omni gloria ſua perfectus eſt, ſicut perfectus eſt Franciſcus cum ſua perfecta paupertate Evangelica, Intrà ſe IVDICaVIt CaVsaM paVperIs. *Jerem. cap. 22. verſ. 16.* Franciſcum accedens, quoſpiam ſuæ Religionis Viros ab eo expoſcens, & quatuor obtinens, ſcil. P. Albertum Piſanum. P. Martinum de Mediolano. P. Jacobum de Tarviſio. & P. Joannem de Plano, ſecum eos deduxit in Auſtriam, & in hoc ipſiſſimo loco, inquo per quinque Sæcula noſter Conventus cum Eccleſia ſubſiſtit, prima jecit ædificij fundamenta Anno 1224. ipſiſſimô Annô, in quo S. P. Franciſcus in Monte Alverniæ quinque fuerat inſignitus ſtigmatibus.

Te alloquor
LEOPOLDE Glorioſe
Dux Auſtriæ glorioſiſſime,
Cur Religioſos à S. Franciſco in Auſtriam provocâſti?
incoluit dudum Montes Benedictus,
Bernardus pridem Valles excoluit.
Cur Religioſos colis S. Franciſci
In cinericeo ſuo habitu vix non incultos?
Reſponſum capio *Matth.* 18.
Advocans JESUS Parvulum, ſtatuit eum in medio eorum;
Advocans LEOPOLDUS Fratres noſtros Minores,
parvulos & humiles
ſtatuit eos in medio Benedicti, & Bernardi,
quid ſibi hoc?

Cur

Cur Religiosos Minores, parvulos, & humiles advocasti?
si dixero: ut à Minoribus Austria fiat Major,
à Virtutis scopo non aberrabo.
Orta est contentio inter Discipulos Domini,
quis eorum videretur esse major?
Salvator quæstionem solvens respondit:
qui vestrum vult esse Major,
fiat sicut Minor,
Austria facta est magna Mundi Domina
Austria est Residentia supremi Romanorum Apicis,
Austria Thronus gloriæ,
Austria cæterarum Regionum Mater
Austria reliquorum Monarcharum Caput
Austria est Major,
Quo cum Fratribus Minoribus, facta est Minor.

Ab hinc imago ex secunda hujus structuræ condignatione præsefert Impressionem stigmatum, quæ peracta est ab aliquo alato Seraphin in aëre apparente cor distantis Francisci oblongè & ovaliter vulnerante, suprà legendum erat:

QVInqVe hIs forMatVs franCIsCe es ab InDe beatVs,
DIstans MIra sapIs, VVLnVs oVaLe CapIs

Hunc duplicem versum Leonino - Chronosticum subsecutum est infrà hanc Imaginem, aliud simile Chronosticon:

En DeVs eXpressIt, franCIsCVs stIgMata gessIt
MoX petIt AVstrIaCIs nos LeopoLDVs agrIs.

Adam
Ex umbrosa terræ gleba Damasci genitus,
Franciscus
In terra Umbriæ natus;

Proto-

Proto-Parens
Humani generis Adamus
Archi-Pater
Fratrum Minorum Franciſcus,
Factus ad imaginem DEI viventis
Adamus
Expreſſa ſimilitudo DEI morientis
Franciſcus.
DEUS inquiit:
Quaſi unus ex nobis factus eſt
Adam & Franciſcus.
Præfigurat Adamus in perſonis Trinitatem,
Repræſentat Franciſcus humanati DEI Crucifixi Unitatem,
Quinq; vulneribus inſignitur in Monte golgothæo Chriſtus
Quinq; ſtigmatibus decoratur in Monte Alverniæ Franciſcus;
per divinam metamorphoſin
Eſt amans transmutatus in amantem.
Amor eget Mauri jaculis & arcu,
abinde vulneratur Franciſcus
per rubeum colorem ſimilis DEO depictus;
Picta manus, pictique pedes, ſunt pictaque corda,
uterque in Sanguine Agni dealbatus,
& ſanguineo cruore rubicundus,
Prototypon unus, Ectypon alter
ambo candidi, & rubicundi.

Inferiorem & primam Imaginem, ac LEOPOLDIUM Glorioſum in Amictu Ducali expreſſum & cum Beato Franciſco amicabiliter colloquentem hoc expreſſit ſubſcriptum:

NOS VobIs gratI, fVIMVs, LeopoLDe, VoCatI
sVaVIa CorDa ferIs, gratVs aMICVs erIs.

O In

In supremo hujus Trophæi culmine publicus visus fuit applausus à concinentibus Angelis, consonantibus tubis & tympanis, & diversissimis concrepantibus Musicalibus Instrumentis, in loco subsistit altissimo ipsa Fama tubam inflans cum scriptura annexa tapeti à tuba dependenti: *Usque ad futurum sæculum non desinam Eccles. 24.* Jubilemus itaque Fratres Charissimi, & in hoc, & in futuro Sæculo, quia non *ConfVnDeMInI à frVCTIbVs VestrIs. Jerem 12. vers. 13.* quandoquidem semper Vos sequetur illud D. Augustini: *Odor bonus, fama bona.*

Hæc erat Linea recta ab infrà usque sursum, nunc oculi ad partes laterales sunt dirigendi; à Dextris Leopoldi Gloriosi stetit Devotio Austriaca cum Phiala, vel lampade virtutum oleo accensa, quam tenuit manu sinistra, & dextra gestans Clypeum, in quo Ferdinandus II. ante Crucifixum se alloquentem effigiatus erat cum subscriptione:

HVC pIa proMoVIt, nos hæC DeVotIo foVIt.

A Sinistris Leopoldi Gloriosi stetit Munificentia Austriaca dextrâ Ecclesiam gerens ædificatam, & in sinistra Cornucopium diversa thesaurorum genera liberaliter profundens cum subscriptione:

Stans hVCVsqVe bonô, sIt MVnIfICentIa Donô.

Lateralia ex utraque parte Divi Francisci erant sequentia Exemplaria: à Dextris ejusdem stetit Amor divinus cor inflammatum, & sagitta sauciatum exprimens quasi diceret: *VoX DILeCtI MeI pVLsantIs Cant. 5. vers. 2.* cum subscriptione:

FLagrans CorDe forIs, petIt IntVs VVLnVs aMorIs.

A sinistris Divi Francisci intuenda erat statua humilitatis, demisso vultu, manibus cancellatis, & cum humili agnello depicta cum inscriptione:

EsT hVMILIs, ChrIsto De VVLnere par bonVs Isto.

CAPUT XIV.

De Viris famosis in hac Provincia quondam degentibus.

Reliquum Ecclesiæ interioris sumptuosum decorem augere in octo columnis videbantur Emblemata artificiosè elaborata & in illis

illis rariori penicillo adumbratæ Religiosorum illorum effigies, quorum Memoria etiamnum hodiè celebratur in Provincia nostra Austriaca, qui vel famâ erant celebres, vel vitâ vixerunt sancta, vel morte obierunt piâ, vel Infulâ decorati sunt Episcopali, vel demum aliâ altioris momenti notâ vixerunt insignes; meritò autem illis omnibus præponitur S. LEOPOLDUS Marchio, qui tametsi, uno Sæculo ante inchoatam Fratrum Minorum Conventualium Religionem in terris vixerit, nihilominùs, quia in Tutelarem, Protectorem, & Patronum Almæ nostræ Provinciæ fuerat specialiter assumptus, ideò præ cæteris omnibus primariam sibi vendicat Antecedentiam:

Unde nobis incipiendum est?
à Signo Sanctæ Crucis,
Crux
nullô unquam sat dignô titulô intitulata
Cum suo titulo I. N. R. I.
est Titulus
Nostræ sic intitulatæ Viennensis Ecclesiæ.
Incipimus gloriosè,
à Leopoldo plenô titulô Glorioso
nos ex Italia advocante,
Et Titulum Mensæ Viennæ nobis primitùs concedente
Incipimus bonis avibus,
à S. Leopoldo intitulatè Sancto,
Incipimus à quinque alaudis
Ad instar quinque Vulnerum in suo Vexillo expressis,
Quasi quinque stigmata S. Patris Francisci exprimentibus,
Incipimus bono omine,
bono nomine,
bono, inquam nomine,
à duplici incipimus Leopoldo,
à Sole anagrammaticè duplo,
Gloriosô unô in terris, Sanctô in cœlis alterô.

Uterque almæ Provinciæ noſtræ intitulatur Patronus,
Iſte in fundando, hic in conſervando.
Sigillum noſtrum Provinciale
Sanctum præſefert Marchionem Leopoldum,
Qui unicâ Nominis titulaturâ titulari non poteſt,
pluribus prærogativarum titulis intitulandus:
tam gratioſus divini amoris fuit Aſcanius,
ut cùm cæteri cælicos influxus allicere,
Ille in ſe jam ſtitiſſe gauderet.
Marchio erat à ſuis amandus,
Mars ab hoſtibus formidandus,
Et ſimul Lætitiæ Parens, & ſimul mæſtitiæ Genitor,
bonis, & malis è diametro oppoſitus.
Templorum Fundator, Templi Cuſtos, imò Templi DEI,
extemplò novus redivivus Templarius,
Numine plenus,
Cœleſtibus repletus, terreſtribus vacuus,
Præ zelo in Corde calidus, in oculis madidus,
Judex æquitatis, Judicum æquiſſimus,
Innocentiâ candidus, amore rubicundus,
Sponſus Deo dilectus
Candidus & rubicundus
Et ideò omnium præconiorum compendium
LEOPOLDUS,
æternitate dignum abſolvit elogium,
quia obiit, dum ſuis vivere cæpit.

DUlcis amor Patriæ, dulciùs videre ſuos, dulciſſimum eſt Patriotam habere Patronum, de S. LEOPOLDO Aûſtriaco nato canit in ſuo Feſto Eccleſia Lectione 6. in Breviario: Ad ejus invocationem mortui ſuſcitati, cæci illuminati, Surdi auditum, muti loquelam, claudi greſſum, Captivi libertatem, varijs morbis oppreſſi ſanitatem ſunt

ſunt conſecuti; LEOPOLDUS omnibus omnia factus, ideò in ſingulariſſimum almæ noſtræ Provinciæ Patronum meritò eſt adſcitus.

hIC & VbIqVe bonVs, sIs MI, LeopoLDe patronVs,
DIVIno In CœLos pangItVr VsqVe MeLos.

Sanctus Bonaventura Septimus Generalis, qui Perſonaliter viſitavit Provinciam Auſtriæ Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium.

Omnia bona adventura
experta eſt Alma Provincia noſtra Auſtriæ
à Sancto Bonaventura.
Hic matutino Ord. Min. Conventualium exortus crepuſculo,
veræ Religioſitatis Phoſphorus,
necdum factus Heſperus
ſiquidem etiamnum relucet in ſpeculo
Speculum Bonaventuræ intitulato:
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
prout in illo ſpeculo fieri jubebat.
Doctrina erat celebris
Humilitate celebrior.
in literis ità profecit
quòd non defecerit in ſpiritu.
Omnibus charus
ſui ipſius ſolius deſpector.
Sicut ſcivit omnia, ità ſcivit ſui nihilum,
magnum reperit theſaurum,
qui quærit ſui nihilum.
Multi fodiunt, & non effodiunt hunc theſaurum,
Hinc pauci divites hac monetâ,
honores invenit, quos non quæſivit,

Ex

Ex Habitu cinericeo, & cilicio adeptus purpuram
in qua erubuit ſine pudore,
quia etiam inter cineres carbo latet ignitus,
non vivit adhuc, adhuc tamen vivit
nam vivit poſt funera virtus,
In numero vivit Sanctorum
quos non tangit plaga tormentorum.

SAnctum Bonaventuram Provinciam Auſtriacam Fratrum Minorum Conventualium viſitâſſe compertum certò certiùs eſt, quandoquidem in Conventu noſtro Stainenſi, & Iglavienſi illæ Cellæ, quas ut Generalis inhabitaverat, in hoc usque extant momentum, in Sacella publica transmutatæ, & permanent in ejus annua feſtivitate variis devotionibus celebres.

ALta DEI foVIt, generaLeM hVnC AVstrIa noVIt,
CorDe, aC Mente pIas ſtrVXIt In aſtra VIas.

Pater Conradus Concionator Celebris in noſtra Provincia Auſtriæ, mortuus, & Neoſtadij in Auſtria cum corruſcatione miraculorum tumulatus.

Hic ut bonum Subjectum bonum exigit prædicatum,
Prædicator dignô prædicatô deprædicandus,
Multa dixit ore, plurima præſtitit opere,
fecit, & docuit
Ideò Minorita magnus vocabitur in Regno cœlorum,
Ad verbum ſequere, ſecutus eſt Petrus,
ad Imperativum I, ivit Conradus,
Petrus reliquit retia, quæ reficiebat, illum ſecutus,
qui orbem refecit,
Petrus jam pridem Ex-piſcator,
Piſcator Conradus,
hos hamavit, quos cum aſpiratione amavit,

Nè

Nè unicum jota à lege præteriret,
unicum adamavit vocalem I,
Ex obedientia unica Ivit ad omnia,
ad mortem vocatus
Ivit;
Mors eſt Echo Vitæ,
quam vocem ut vox clamantis
Pater Conradus dedit,
eandem mors reddidit,
qualis vita, mors eſt Ità,
non poteſt mori malè, qui vixit benè,
Sanctè igitur mortuus, qui vixit ſanctè,
Cinere indutus
in Cinerem eſt redactus,
Nobis hoc ſequendum relinquens veſtigium:
Cinis es, & in Cinerem reverteris.
tu Cinerem interim tuum intuere
Ut ex Cinere in illa die tremenda Phænix reſurgas redivivus,

PAter Conradus Mundo infenſiſſimus hoſtis, ſciens, quod mundus non mundet, ſed mundos immundet, ideò in mundanis ſæculi voluptatibus non expedit alibi, quàm extrà mundum contentâ vivere ſorte, imò pedibus mundum conterere neceſsè eſt, quod ore & opere præſtitit Pater Conradus.

CVras MVnDanas, tIbI Vertas, abIICe Vanas,
MIttIto CVnCta Deo, VIVIto ſtetVs eô.

Venerabilis P. Wolterus Minorita Conventualis in Provincia Auſtriæ, ex Conventu Lincenſi ſuper Danubium ſiccis pedibus, tunc temporis cum Ponte non proviſum, ad Infirmum ambulavit Anno 1245.

Qui

Qui ſtat, videat ne cadat,
Qui ſuper aquas ambulat, videat nè ſuccumbat.
contrarium experire eventum:
Pater Wolterus Minorita Conventualis
Qui non modicæ fidei, ſicut quondam Petrus,
Sed inflammatus ſpiritu Domini ferebatur ſuper aquas.
Homo trans Danubium jacuit ægrotus
tanto ergà ſuum proximum hic Pater flagrabat amore,
quod aquæ multæ non potuerint extinguere
hanc charitatem.
Operam adhibuit, ut opem inopi adferre opulenter poſſet,
elevaverunt flumina fluctus ſuos,
nè fortè offenderet ad lapidem pedes ſuos.
non mirare,
Dilectio ergà proximum hoc totum præſtitit;
Amor aliàs cum ſuis alis eſt volatilis,
hic factus eſt natatilis,
non benè conveniunt, nec in una ſede morantur
ignis & aqua,
modò aqua ignem ſupportat,
Ignis aquæ nullam læſionem importat,
pro moribundo nil magis idoneum
quàm ignis & aqua,
Ignis, ut amore Seraphico erga DEUM inflammetur,
aqua, ut à culparum ſordibus emundetur,
ſi proinde bonus amicus magis eſt neceſſarius
quàm ignis & aqua,
Ignem & aquam ſic myſticè explicatam
in tuam amicitiam contrahe.

EX Simonis Majoli doctrina hauritur, alicubi aquas è ſcaturigine ſua ebullientes, & adeò calidas reperiri, ut nonnunquam vivaces flam-

flammæ intrà illas discurrere sint visæ. Aquam hanc P. Wolterus Prototypi locò sibi habuit, qui in ægroto conscientiæ munditiem, & in se ipso pietatis calorem conservare peroptimè noverat, imò ille ùt flammula per aquas discurrere addidicerat.

VIVVs aqVas sternas, De peCtore In IntIMa Cernas,
τV transI hasCe VIas, MVnVs ID esse sCIas.

Pater Joannes Deist Minorita Conventualis in Provincia Austriæ Professus instituitur Episcopus Lubecensis Anno 1254.

Hic magnus Præsul Magnes erat,
Qui ferrea Diœcesanorum corda magnificè attraxit.
Portentum Ingenij.
aurô fuit suis charior, gemmis pretiosior,
honore honoratior, amore amatior
famâ famosior.
Colere cæpit omnem rerum scientiam,
ut excoleret suorum subditorum Conscientiam.
Decorior decore, viridior virore
ipsâ gloriâ gloriosior,
vixit perpetuò victurus.
quem dederat cursum fortuna, peregit benè,
hinc usque ad Astra notus
promeruit omnia,
etiam ut cantantes
Eundem sublimè ferant ad sidera Cygni.
Divinis meditandis se immersit adeò
ut plerumque lachrymis innataret.
Virtutis non posuit tyrocinium,
quia nata cum illo est,
Angustus, non Augustus extitit illi mundus,
in mundo raptus extrà mundum,
in Centro mundi,

Centrum & ultimum punctum
quæ ſivit humilitatis,
quandoquidem Frater Minor factus eſt,
peroptimè ſciens:
quòd gemma pro priori in vili debeat
naſci Concha,
Antequam reſplendeat in tiara Epiſcopali,
noverat: qui ſe exaltat, humiliabitur,
& qui ſe humiliat exaltabitur.

SEmper in armis eſt Diabolus, & ut adverſarius noſter circuit quærens, quem devoret, Unde Ovidius: Odimus accipitrem, quia vivit ſemper in armis, apud hunc Epiſcopum tentatio diabolica inſtar prædatricis feræ ſemper excubabat in armis, ſed fuit vana ſine viribus ira, ſiquidem ſemper ab illo dæmon, & victus, & vinctus fuerat.

sIs orbI In pLaVsVs, peLLe aLtos DæMonIs aVsVs,
VIVe, Maneto DeI, sVsCIpe sCVta speI.

Pater Henricus de Velſpach Minorita Conventualis in Provincia Auſtriæ Profeſſus, eligitur in Epiſcopum Chimenſem A. 1274.

Studuit, Docuit, Scripſit,
Doctorum lydius lapis
plenus ſcientiarum Oceanus
non procelloſus, ſemper ſilentioſus,
vix ortus vitæ inchoavit Auroram,
mox inſcitiæ tenebris indixit Veſperum.
plerumque Deo orando locutus,
frigidas noctes, Vigil tranſigendo
Calidum ſemper ſenſit Meridiem amoris.
Paſtorem ſe ſcivit eſſe ovium
Innocens innocenter rexit gregem innocentem,
novit quàm pinguia forent paſcua
in Euchariſticis pratis,

ut

ut gloriaretur frequentiſſimè:
Dominus regit me, & nihil mihi deerit,
in loco paſcuæ, in quo me collocavit.
benè ubique conſuluit
conſulta propagavit,
propagata ipſo opere explevit.
Leges amavit, primus in Exemplum ſervavit,
juſtitiam ſervari monuit,
hanc manutenuit,
Jura ſtabilivit, ad unguem cuſtodivit,
Epiſcopi hujus ad Exemplum totum componebatur ovile;
erat bonus Rex,
ab Illo bona lex, ſub illo bonus Grex,
per illum eliminata omnis fæx
vivit etiamnum
non vitâ, ſed memoriâ æternâ
hoc illi poſteritas ſcribat Epitaphium:
Abivit, non obivit,
ætatis enim numerus, ſi eſt virtuoſus,
æternitatis eſt menſura.

QUod ſerenitas Cœli eſt poſt tempeſtatem, hoc ipſum poſt miſeriam perpeſſam eſt benevolentia Patrocinantis, geminum Caſtoris & Pollucis ſidus, non nisì in extremo Navigantium diſcrimine apparet Convenit enim hominibus humana ope deſtitutis, vel è Cœlo auxiliatrices, vel ab hominibus patrocinantes porrigere manus, quas præfatus Epiſcopus egenis liberaliter ſemper porrexerat.

TV sIs aDIVtor, sIs CVnCto In teMpore tVtor,
DVM CVnCtos qVærIs, non nIsI faVtor erIs.

Pater Paulus Minorita Conventualis in Provincia Auſtriæ Profeſſu aſſumitur in Suffraganeum Paſſavienſem A. 1280.

Vas Electionis factus eſt iſte,
quidquid non ſapit amaritudinem,

non ſapiunt huic Epiſcopo
Omnem dedocto guſtare dulcedinem
nec dulcius mel edere viſus eſt,
quàm quod felle condîtum conſpexerat,
ſi quid diſipuit, condimentum fuit,
appetitum non habuit alium,
niſi qui ex abſynthio mortificationis procederet,
clarus fuit in verbis
clarior in decidendis ſententiis
Clariſſimus in decidendis Judiciis
Morum ejus melodia
plùs quàm ſyrenum cantus ſubditorum Mentes
illaqueavit
nulli moleſtus, omnibus modeſtus.
Nux Iliados
Omnium prærogativarum Compendium
acutus in aperiendo,
accuratus in enucleando,
Imò ipſe nucleus in ſapiendo,
Omnem duram enucleare nucem
difficile eſt, fateor,
ſed quia tendit in ardua Virtus,
cucurrit in ſtadio
obtinuit bravium
Conſcendit Paſſavium, aſcendit ſuffraganeatum,
honore dignus
dignum perſcendit gradum honoris.

QUemadmodum flumina affluunt, confluunt, & influunt in mare, ità nos omnes mortales in fluido noſtræ Vitæ tempore defluimus morituri, ſeriùs aut citiùs metam properamus in unam, longiùs aut propiùs mors ſua quemque manet. Hic Epiſcopus ad mortem omni

omni die dispositus in profundum mortis pelagus tandem pientissimè dilababatur, sciens illud: tendimus huc omnes, hæc est Domus ultima rerum.

IVIstI In bellas sVrsVM De fVnere steLLas.
en qVasI reX paCIs MVnera DIgna faCIs.

Pater Wolffgangus Minorita Conventualis in Provincia Austriæ Professus, elevatur in Suffraganeatum Passaviensem 1475.

Adimpletum est Isaiæ Vaticinium:
Lupus & agnus habitabunt simul
Lupus præfuit Ovibus Passaviensibus,
nomine lupus, omine agnus.
In animam hujus benevolam intravit spiritus Sapientiæ.
erat scientiarum rivus,
Qui dum se in tota Provincia, ut aquæ Parnassi diffudisset,
usque in altum contra naturam aquæ
nempè ad Episcopale Passavicum solium
exundavit.
Ab illo Passavicolæ aquam sapientiæ salutaris accipientes
Nomen Domini crebriùs invocare studuerunt,
Subditi habuerunt in Illo Custodem Angelum,
qui eos custodivit in omnibus vijs suis,
quos non poterat in manibus,
tulit ipse in oculis,
Circumspectus Argus in omnibus,
ut virtutem sereret,
messuit flagitiorum flagitia.
Exiit seminare semen bonum,
sicut zizania industriè eradicavit,
Ità virtutum germina laboriosè implantavit,
ut cœlestia implere posset horrea
ex frumento Electorum.

Multo-

Multorum per Sacrum Evangelium exſtitit genitor,
Partus,
quos in lucem edidit publicam,
publico peperit Numini.
& ideò
generatio rectorem benedicetur.

SIcut fulmina, inquit Seneca, paucorum periculo cadunt, ſed tamen cum omnium hominum metu, ſic Juſtitia terret latiùs, quàm nocet. Magnus fuit Juſtitiarius Epiſcopus iſte, illud erat in ſuo Epiſcopatu, quod ſol in cœlo, ſol non alius eſt erga pauperem, quàm divitem, ſed omnibus communis, ità fuerat conſtitutus ille, omnibus æquus, nulli iniquus.

QVæ DeVs Ipse DabIt, VIrtVs hæC CorDa beabIt,
eCCe DabIt prVDens, IVstItIæqVe stVDens.

P. *Theodoricus Kramer Minorita Conventualis in Provincia Auſtriæ Profeſſus, ut Provincialis 23. annis rexit Provinciam, factus Epiſcopus Neoſtadienſis Anno 1515.*

Hic fuit Protheus extra omnem fabulam
omnibus omnia factus,
ſcivit proſperare adverſa, emollire dura,
Laborantibus manum adjungere,
plorantibus lachrymas abſtergere
noverat gaudentibus ſolatia affundere,
preſſos ſucollare,
nihil diſceſſit ab Eo Authoritatis,
licèt plurimùm habuerit
affabilitatis.
Erat lux vera, quæ illuminavit Auſtriam,
plures ſibi ſimiles ſi videret totus terrarum Orbis,
Lucerna non deeſſet,
nè lateret ſub modio Religionis Seraphicæ,

Poſitus

Positus est super Candelabrum Episcopatûs Neostadiensis,
ibi honor nidificat,
ubi collactanea pietas, & scientia
hominem aliis notificat.
Quâ Minorita erat luminare minus,
ùt Antistes luminare majus,
fuit irreprehensibilis,
Sobrius, prudens, ornatus, pudicus, hospitalis,
suæ Domui benè Præpositus,
quia honores apud Eum non mutârunt mores,
Episcopali honore dignus erat,
unde sic honoratur,
quemcunque virtus, & Sapientia honorare desiderat,
semper honos
Nomenque suum
Laudesque manebunt.

ELementum aquæ est accomodabile ad omnia vasa, ad parva & magna, ad alta & lata, ad rotunda, & quadrata ita homo sapiens accommodabilis omni, prout fuerat noster P. Theodoricus, Laurentii Justiniani parænesin cordi suo habens incisam: transformemur in singulos, communicemus nos omnibus, i tà ut illud Apostoli compleatur in nobis; Omnibus omnia factus sum.

DoCtæ, sInCeræ, VIrtVtIs IMagoqVe Veræ
hIC VIr, Vera sapIt, DogMata qVæqVe CapIt.

P. Martinus de Bruna Minorita Conventualis in Provincia Austriæ, ex Guardiano Brunensi, accipitur in Suffraganeum Olomucensem Anno 1532.

Mardochæus insedit equo Regio,
benè equitat, quem gratia Regis portat,

cu

en novum Martinum, novum Equitem,
ſuaviùs equitat, quem gratiaDei portat
chlamydem non dimiſit,
ſed in Epiſcopalem amictum transvertit,
vixit omnibus gratioſus,
priùs pauper Religioſus,
poſteriùs locupletiſſimus Præſul.
ille namque ditiſſimus eſt
Qui ſubditorum corda poſſidet in theſauris,
benevolentia eſt moneta
quâ inferiorum Corda coëmuntur
Unde ille ſuperior
nimiùm avarus foret,
qui ſubditorum animos nollet emere hac pecuniâ.
fuit, & ipſis ſuperis acceptus,
amicus Numinis,
inimicos non numeravit ullos,
nisì virtutum oſores.
Amor eſt amabilis partus amoris,
ideò à DEO, & homine amatus
quia amabilis erat.
Amare, & Amari
eſt principium beatitudinis in terris
Conſummatio in cœlis.
Fac ſecundùm Exemplar, quod tibi monſtratum eſt
ut ameris, amabilis eſto.

Dij laboribus omnia vendunt, nec jacet in molli veneranda ſcientia lecto, in perpetuo labore, & motu eſt ipſum Cœlum. cui nec mora, nec requies ulla, ſicut indefeſſa vertigo cœlum rotat, ſicut Mare æſtu inquietum eſt, ſicut Sol ſtare neſcit, Ità Epiſcopo huic inerat ſollicitudo ſine otio, labor ſinè quiete, occupatio

cupatio ſine vacatione, exercitium ſinè mora, & diligentia ſinè ceſſatione.

ExtVLIt hIs Mores, CognoVIt aDIre Labores
Dos IbI neCtatVr, VIta pVDICa DatVr.

Pater Petrus Minorita Conventualis in Provincia noſtra Auſtriæ Profeſſus aſſumptus ad Epiſcopatum Marchopolenſem.

Quis hic? aliquis,
quis aliquis?
nemo.
Pythagoras fuit,
Sicut Silere petijt, ità Sileri appetijt.
Infra ſe didicit omnia ponere,
& ſe infrà Omnia,
demùm ſe nihil eſſe ratus eſt,
in proſperis non elatus,
in Adverſis non proſtratus,
inter favonios, inter tonitrua, inter media,
ſemper idem ſtetit erectus.
quasì nemo nemini notus,
nisì dum apud ſuos ſubditos
mali amores infecerant bonos mores,
eos correxit
Paterno amore, ſuavi more.
ætatem vitiis ſui anteverterant homines,
nondum adulti, jam fermè adulteri
quos omnes reduxit ad meliorem fructifer frugem.
Hic Epiſcopus in taciturnitate jacet,
jacendo tacet.

Q In

In ſilentioſæ humilitatis ſpecu latuit occultus,
Ideò benè qui latuit, benè vixit,
optimè vixit,
quia nemo Ipſum vixiſſe ſenſit,
nulla virtute claruit major,
quàm quòd omnes ſuas Virtutes
voluerit umbrâ ſilentii obumbrare,
imbibamus itaque hoc dogma:
ama neſciri.

VIx homo naſcitur, & effingitur, paulò poſt moritur, & diffringitur, homo factus ex terra, vertitur in terram. Epiſcopus iſte toto vitæ ſuæ tempore fuit vivens mortuus, vivum cadaver, corpus ſuum ùt terram reddidit terræ, & pulverem pulveri, Unde D. Auguſtinus: ſi te confeſſus fueris pulverem, DEUS de pulvere faciet hominem. Ille omnia ùt pulverem, ùt cinerem æſtimavit, mundum & Carnem arbitratus eſt ùt ſtercora.

Ceſserat è VanIs, qVos MVnDVs faLLIt InanIs.
spreVIt DaMna soLI reCtVs In aXe poLI.

P. Thomas Murnanus Minorita Conventualis in Provincia noſtra Auſtriaca Profeſſus, ex Guardiano Paſſavienſi fit ibidem Suffraganeus Anno 1536.

Adeſto Apelles
Colores præpara, penicillum adapta,
Umbram pinge
Creduli Patris Thomæ incredibilis humilitatis.
umbra fuit in nativitate ſua
in umbroſa Domo pauperum Parentum in lucem editus,
Divinum Franciſcum in Umbria natum
ùt Umbra ſolem ſecutus,

Umbro-

Umbrosum habitum,
de umbroso colore Cinericeo mutuatum induit,
ab Umbra in hoc duntaxat distinctus
quòd Umbra nunquam sit sola
Thomas semper Solitarius
& nunquam minùs solus, quàm cùm solus,
in Sanctarum cogitationum exercitio
de solitudinis tædio nec cogitavit umquam,
sapuit pro Cibo solius abstinentiæ sapor,
imò jejunium Eundem impinguavit.
in suo Regno sapientiæ
Illum nihil aliud coronavit,
nisì quod Ipsum cruciavit.
Præter fel & acetum mundus nihil habet immundus,
quod propinaret mundana sitientibus,
bibit Calicem,
quem Christus biberat,
& nunquam hanc sitim sibi extinxit;
aut pati aut mori voluit.
Fel mortificationis licèt gratiosè ebiberit,
nihil amari unquam eructavit
Contrà inimicos, quos suos esse amicos credidit,
omne irritamentum iracundiæ
Occasionem esse dixit veræ fraternæ charitatis,
disce cum Illo pati.
nam si vis vincere, scito pati.

DEUS Os homini sublime dedit, cœlumque tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus, Oculorùm hujus Episcopi unicum erat objectum, & nullum intensiùs est contemplatus aliud, quàm cœlum, si quidquam inter res creatas est præclarum, certè hoc erit ipsum Cœlum per totam suam planitiem stellis undique respersum, innodatos

 mundi

mundi nexus & laqueos dissolvens tandem cum Apostolo : Cupiebat dissolvi, & esse cum Christo.

HVIC erat IntensVs tVnC MItIs aD æthera sensVs
CasVs DIsrVpIt, IaM bona Vera CVpIt.

P. Joannes Baptista Civali Minorita Conventualis Professus in Italia, rexit aliquo tempore ut Provincialis Provinciam Austr. postquam autem erat institutus Olomucij Suffraganeus, Infulatus Præpositus Cremsiriensis, & Prælatus Canonicorum Regularium ad Omnes Sanctos in Canonia Olomucensi in nostra Provinc. Austr. mortuus, & in Cathedrali Olomucij sepultus 1617.

Cineres & Ipsi manes
Joannis Baptistæ Minoritæ Conventualis
sunt digni, ut memoriam Ejus nunquam incinerabilem
omni humanato vivo cineri propalent,
non obiit, sed abiit
tribus Infulis functus, non defunctus est,
quia sua vivit post funera virtus,
Hic Joannes plùs quàm Janus
iste Bifrons, alter trifrons extitit
tribus Tiaris decoratus :
Unâ in Ecclesia Cathedrali Olomucensi,
Secundâ in Præpositura Cremsiriensi,
Tertiâ in Prælatura Lateranensi, ad omnes Sanctos dicta,
Cui DEUS favet, Omnes Sanctos eidem favere necessè est
Verus erat Joannes Baptista,
quô inter Fratres Minores Almæ Provinciæ nostræ
non surrexit Major Minorita
Civilissimo Patre Joanne Civali.
fuit Major, & Minor
Minor in Ordine Minorum
Major in serie Magnorum Episcoporum.

Cùm

Cùm ipſemet de ſuis Encomijs
poſſit eſſe vox Clamantis in deſerto,
poſui ori meo Cuſtodiam,
& conticeſcam cum hoc unico:
ſuum corrigere, erat Cor regere,
ſuum corripere, cor rapere
ſuum plectere, cor flectere,
Tu
Re -- Cor -- dare,
Scias.

ONus præit honorem, & honor ſequitur onus, filia oneris eſt triſtitia, aſt filia honoris eſt lætitia; Meritum hujus Epiſcopi eſt ſecutum præmium, ſiquidem Operarius eſt dignus mercede ſua, non unam, ſed trinam eſt adeptus Infulam, aliàs ſi Epiſcopum unâ duntaxat Infulâ decoratum decet eſſe perfectum; En Epiſcopum plùs quàm perfectum, quia omne trinum in ſua linea perfectum, hic plùs quàm perfectum:

non aDsIt threnVs, fVIt Is DVLCeDIne pLenVs,
MentI, qVæ qVærIt, gaVDIa CVnCta serIt.

Pater Cæſar Nardus Minorita Conventualis in Italia Profeſſus, Concionator Viennenſis Aulicus, Suffraganeus Olomucenſis, & Præpoſitus ad omnes Sanctos Canonicorum Regularium Lateranenſium Sancti Auguſtini in noſtra Provincia Auſtriæ mortuus.

Pulchrum eſt monſtrari digitis, & dicier
hic eſt:
Cæſar Nardus
Epiſcopus Anſarienſis, Suffraganeus Juliomontanus,

Præ-

Præpoſitus ad omnes Sanctos
promeritus nominis favorem,
famæ virorem,
æternæ gloriæ decorem.
Odorem hujus Nardi adhuc olfacit Olomucium,
ſtupet ætas, miratur ævum.
fœtorem Lutheranæ hæreſis, ſuo virtutum odore
eliminavit;
Ad incudem veri Evangelij cerebella ſectariorum
ità eliſit,
ut iisdem nihil remanſerit,
nisì cerebri inopia.
Vixit patiens in paſſionibus,
Crux illi fuit, carere cruciatu, & Cruce
tunc honorari ſe ratus eſt,
dum dishonoratione afficeretur,
tunc laudari,
cum opprobrio læderetur.
Omne ſibi inflictum maleficium, æſtimavit beneficium,
Mundus illi fuit tormentum, cœlum ornamentum,
credidit ſe à cœlo non honorari,
quousque à mundo immundo non vilipenderetur,
hunc deſeruit, æterna quæſivit.
Hoc memoriale Poſteritati relinquens:
Epiſcopatum rexit, ſicut regitur cœlum,
cœlum regitur ab Intelligentiis,
Suus Epiſcopatus regebatur Ipsô intelligente,
unde & te benè reges,
ſi te prudentia & Intellectus rexerit.

CUjusque libido ſibi DEUM fingit, bibuli adorant bacchum, Vani colunt Floram, Venerei immolant Veneri, hæretici tot ſibi expetunt

petunt Deos, quot volunt frui voluptatibus, sunt sicut folium, quod vento rapitur, sunt noctua, quæ lucem Evangelij fugit, sunt crocodylus, prodit, ut prodat, sunt rana, quæ ex lacuna coaxat, sunt Hydra, quæ domatur igne, sunt talpa, quæ oculata cæcutit, sunt labyrinthus, quia in vestigabiles viæ ejus, hos omnes calamo suo fortiter & generosè devicit hic Episcopus.

CanDens, aC fortIs, pVgnaX In tVrbIne MortIs,
VeXans CVnCta terIt, noMIna DIgna gerIt.

Pater Jacobus Boncarpi Minorita Conventualis in Italia Professus, Episcopus Imeriæ Præses Capituli Viennæ celebrati 1646. quondam Guardianus Viennæ, & Iglaviæ, multis annis Parochus in Kaniz, postmodùm Decanus in Oberleis ibidem mortuus, & Espernæ in Capella Sancti Antonii sepultus.

Effinge mihi divine Phydia
Simulacrum hujus Episcopi,
Et artificium effigiabis,
quod nec Argi ostendent, nec Athenæ.
quidquid sexcenti Soles dederunt virtutis,
in illo tanquam in compendioso Cathalogo mirare!
nunquam malè audiit,
qui DEUM semper benè audivit,
DEI Cultor, malorum ultor,
in adversitate nulli extitit adversarius,
quia adversa adversis, adversa non sunt
sed aversis.
Iste populo ùt pupulo favebat,
Ille pupillos ùt pupillas fovebat,

Pater,

Pater, Patronus, Patrinus
Omnium,
non sibi,
Sed aliis in Exemplum natus,
leges non violavit,
quia inviolabiles posuit;
omnibus sequendam,
& nemini vitam transegit deflendam.
Sacerdotale munus, & gregale munus
permiscuit cum legali sacerdotio
pedum pro Sceptro gestavit,
Pastor inter Oves,
imò mansueta Ovis inter suas Oves vixit,
imperando serviit,
serviendo benè imperavit,
Plurima Altaria in Ecclesia nostra Viennensi consecravit,
aras posuit imponendus aris,
Altari servivit
& se tandem ut Victimam Numini obtulit.

QUod Pietas ad omnia sit utilis, didicit experientia iste Episcopus, omnium erat amicus usque ad Aras, & quia servivit Altari, vixit ab Altari, non largè, lautè, sed parùm, & cautè, in Mensa Domini appositum habuit panem Angelorum, in mensa Domi panem, tanquam cinerem manducabat, plùs satiavit animam Spiritu, quàm Corpus cibo, & expertus est, quòd pinguis sit panis Christi.

est sVperIs gratVs, pLenè sIbI DVLCIs, aMatVs,
ara fVIt sCopVs, DVM sIbI feCIt opVs.

Pater Joannes Felix de Barnabeis Minorita Conventualis, in Italia Professus, Concionator Aulicus, Sac. Rom. Imperij Comes

Comes de Barnabæis creatur Episcopus Prisserensis, & Præpositus Albæ Regalis, mortuus hic Viennæ, & sepultus in nostra Ecclesia 1702.

Seraphicus hic Cicero ad eloquentiam natus,
ob aurea sua verba, os aureum.
mira vis inerat suæ oris facundiæ,
unus attentè.
Auditores detinuit multos attentos,
imò maximum mundi Apicem
gloriosissimæ memoriæ
LEOPOLDUM primum.
Novus hic Phaëton
in suo cinericeo habitu
maximos accendit ignes amoris
erga DEUM, & proximum
in Cathedra Aulica
quoties voluit, toties potuit è pulpito tonare,
quoties voluit, toties potuit peccatores domare,
quoties voluit, toties potuit ad virtutes animare
nunquam æquivocavit
Cur?
quia æqua facere univocè docuit.
Contrà mundum, carnem, & diabolum
maxima in suggestu, gessit prælia,
Cum adepto tandem Episcopatu triumphavit.
Ecce tantus est sapientiæ triumphus,
quis non vellet sapiens esse?

DE Prædicatoribus loquitur Apostolus 2. *ad Corinth. cap. 4.* qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris,

hoc

hoc est: in verba DEI proferentibus, Luce doctrinæ suæ illuminant hos, qui in tenebris, & umbra mortis sedent. Hujusmodi erat constitutus iste Episcopus, qui ùt tuba exaltavit vocem suam eradicando vitia, & implantando omnium virtutum germina.

Est ferMè à CaVLa VIrIDI, benè notVs In aVLa,
MIrè LIngVa tonat, sCItqVe qVID aVLa sonat.

Annô 1541. ab immanissimo Turcicorum militum insultu, dum omnia in Austria incendio, & rapinis devastarentur 24. Januarij propè Neostadium octodecim nostri Fratres Minores Conventuales occisi, & crudeliter martyrisati sunt.

Metire magnitudinem horum Martyrum
à luminari minori ab ipsa luna Turcica,
octodecim Fratres nostri Minores enecati,
ab infima terra
in sublimes cœlos assumpti sunt,
amabant uno Corde, prædicabant uno ore
unam fidem, ab infidelibus impugnati
feriri, & mortem ferre sciverunt.
In ambiguo hoc eventu nullus Eorum erat ambiguus,
argumentati sunt Turcæ in ferio,
Hi solverunt argumentum in Dabitis Capita,
& victi vicerunt.
Hæc est Fratrum Minorum unica Maxima,
fortia agere, dura pati, ut fiant Maximi;
tam probè vixerunt,
ut etiam Martyrio probarentur,
allati sunt Marti, oblati morti,
& in ipso primo belli Tyrocinio
accipientes palmam triumphum cantârunt.

Nos

Nos itaque Eorundem nomina
insculpamus Cedris,
corpus, & animam inseramus cœlis,
in quibus fulgebunt sicut stellæ
in perpetuas æternitates.

paX sanCtIs VobIs, paCIs Date MVnera nobIs
IMpIa rItè CaVent, Dona CVIqVe faVent.

Tres Venerabiles Patres Olomucij usque in hodiernum Diem incorrupti Minoritæ Conventuales sunt Anonymi.

Arduum est scrutari superûm Arcana,
siquidem hi tres sunt anonymi,
Veri tamen Sancti Patris Francisci Filij
solum nomen T.
Crucis nomen, Francisci Omen
in frontibus præseferentes,
vitâ vixerunt incorruptâ,
hinc Numen non dedit Sanctos suos videre corruptionem,
Erant integri vitæ, scelerisque puri
Olomutij tumulati.

MVnDI, VersatI, VIVentes, eCCe beatI,
ILLos Ipse MeVs CernIt In aXe DeVs.

Venerabilis Virgo Regina Sainin Abbatissa Meranæ Anno 1616. Die 25. Januarij mortua, & è suo sepulchro defactò spirans suavissimum odorem.

Si noscis te ipsum,
omnia noscis, omnia vides,

haec Virgo multùm vidit,
quae seipsam Lynceis vidit oculis,
vidit sui nihilum picturâ inani coloratum,
oculos habuit, non vidit mundana,
aures habuit non audijt vana,
pedes habuit contrivit profana,
nares habuit, & in tantum odoravit Virgo sana,
quod in odorem suavitatis
è suo tumulo mirabiliter erumpentem
defactò trahantur Sorores Meranenses,
ut nempè ab Eadem addiscant,
Claustralibus Virginibus
debere faetere omnia temporalia,
& olere caelestia.

VIXerat, Vt fLores, feLICIter aDDIt oDores,
DVM sanCta haeC VItâ, stat qVoqVe fInIs Ità.

Venerabilis Virgo Anna Oppawska Abbatissa Olomucensis cum patratione miraculorum mortua Anno 1650. die 6. Februarij demortua quae fuit Dies Professionis.

Haec Virgo
quae sibi non desipuit,
benè semper sapuit,
erat sapiens & una de numero prudentum,
priùs sapuit sibi,
dein Abbatissa
suis caepit sapere Sororibus,
vivit defactò mortua
& jam non viveret, nisì vivens praedixisset horam mortis,
Clarissa vitâ clarâ

Obscu-

obscuram non timuit mortis umbram,
si hanc intuereris vivam
vivum Cadaver contemplareris,
si mortem spectares ejusdem
vitam æternam in Ea admirareris.

In CVnCtos Mores, DIreXIt VIrgo Sorores,
est CrVX, esto! pIas aDDIDICêre VIas.

Imaginibus istis pretiosæ accedunt picturæ R.R. P.P. Provinciales repræsentantes, qui per quinque Sæcula usque ad imminens temporis instans ùt Pastores Vigilantes tam in prosperis, quàm sinistris rerum eventibus Almæ nostræ Provinciæ magno cum fructu præfuerunt.

pLaVDe aLtæ MentIs, tV feLIX gLorIa gentIs
QVIVIs DoCta sapIt, MVnera Vera CapIt.

Hæc omnia tandem Emblemata appensa concludunt Confessarij nostri Aulici, Consiliarij, Prædicatores Cæsarei, Ablegati, Antiquissimæ & celeberrimæ Universitatis Viennensis Doctores, inter quos Patres, Elias Winckler, Andreas Swellengriebel, Ambrosius Fornator, Georgius Loman, Petrus Hulz, Petrus Bartholinus, Octavianus Zambitius, Philippus Salerni, Octavianus Camerani, Accursius Wolfwisers Nicolaus Laurinski, Clemens Vidmaer, Marcus Ronactius, Joannes Pisellus, cæterique quàm plures cum magna suorum nominum recommendatione, famâ & Doctrinâ celebres floruere.

seMper fVLgebVnt, hI DoCtI In fLore VIgebVnt,
Hos DIV eCCe regIt, NVMen In aXe tegIt.



CAPUT

CAPUT XV.

De Apparatu ante Portam Ecclesiæ versùs Domum Statuum Provincialium directam.

OCulis spectandum se se obiecit Arcus gloriæ & honoris permodùm triumphalis theatri constructus, pro basi benè fundata, & quasì fixô cardine quatuor enumeravit Virtutes Cardinales, hac cum superadditione; *Prudentia gubernat*, *Justitia conservat*, *Temperantia sustentat*, *Fortitudo firmat.* In spatio præfatas has virtutes supereminente contemplanda proponebatur illa historia, de qua est habita mentio *cap. 9* & quidem de illa Cruce, quæ contrà naturalem aquæ fluxum, seu in Danubio contrà torrentem ex Oriente Viennam appulit, semetipsam propè Domum ad Album agnellum dictam in Rossavia mirâ virtute sistens, ibique ita firmiter adhærens, ut à nemine avelli, & loco moveri potuerit. Homines ex Urbe Diffusi, quâ datâ portâ ruunt, catervatim concurrerunt hoc spectaculum mundo, Angelis & hominibus factum admiraturi, crucem movere conantes partim sursum attrahunt, partim dextrorsum, partim sinistrorsum, sed tam diu incassum, usque divina providentia aliquem sibi delegisset, quasì alterum Cyrenæum, nomine Simonem, qui Crucem ferre attentaret, infirma mundi elegit DEUS, ut confundat fortia, contemptibilia elegit DEUS, ut ea, quæ sunt, destrueret, elegit sibi quendam Fratrem Minoritam humilem, ut EUM, qui se humiliavit usque ad mortem, mortem autem Crucis, ex aqua exaltaret. Priùsquam autem præfatus Minorita Danubium accessisset, confidentialiter spem suam collocavit in virtute Altissimi illud scripturæ altâ mente ruminando: *qVaeCVnqVe poposCerIs à Deo, DabIt tIbI DeVs. Joan. 11. cap. vers. 22.* Propius accedens cingulum circà pectus solvens crucem ligans, manum admovens, & in fide nullatenùs dubitans; *Ego te absqVe VLLa DVbItatIone sVsCIpIaM. Ruth. cap. 2. vers. 13.* Crucem suscepit, ex aqua traxit, & in altum levavit; ità, quod repletus gaudio dicere potuerit. *EXVLtabo & Lætabor In MIserICorDIa tVa. Psal. 30. vers. 8.*

Super

Super hanc depictam historiam exaratum erat: *In sæculum memoria ejus. 1. Mach. 3.* & Infrà.

ECCe In profVnDIs noVIter DeVs hæserat VnDIs
fIDIt non VanVs, sIC CapIt Vna ManVs.

Ex parte dextra hujus Iconis producta videbatur Processio à ripa Danubij instituta usque ad Ecclesiam S. Stephani metropolitanam modò nuncupatam, quam prædictus Frater præcesserat onerosam hujus Crucis Machinam mirâ quadam virtute solus portans, stupuit Clerus, stupuit Populus, stupuit Vienna, & omnes stupuêre Viennenses, *qVoD In aVre aVDItIs, præDICate sVper teCta Matth. 10. vers. 27.* & dicite in nationibus, DEUS memoriam fecit mirabilium suorum. Super hanc picturam sequens erat annotatus textus: *A Sæculo non est auditum. Joan. cap. 9.* & infrà:

HInC pIa portatVr LeVIter, MIranDa LeVatVr.

Ex parte sinistra ejusdem Iconis præsentabatur eadem Crux, qualiter ex Ecclesia S. Stephani in locum nostræ Ecclesiæ, in quo nunc est pendula, per manus Angelorum modô naturæ Vires excedente fuerat deportata. *ErVDIVI eos, & ConfortaVI braChIa eorVM. Osea 7. vers. 15.* Super hanc delineationem signatum erat: *Hæc requies mea in Sæculum Sæculi Psalm. 131.* & infrà:

HVC aD nos Ibat, CrVX proDIgIosa reDIbat.

Adest
Navis institoris de longè portans panem,
panem vivum, qui de cœlo descendit.
Adest
Crux in Danubio propè agnellum Album,
In qua Agnus Dei pependit,
Adest
Crux in Aqua,

Ut

ut nobis aquas lachrymarum ſuppeditet;
ecce qui alios ſalvos facit,
nunc adhæret ligno Naufragus,
& in eo brachia quasì nataturus extendit
nos amplexu paterno conſtricturus.
Ubi cubet in meridie, ultrà ſponſa non quærat,
hæc Crux ad noſtram S. Crucem eſt,
in loco optimè conveniente;
ſi cœlum cœli Domino,
& terra filiis hominum,
nonnè Crucifixo locus ad Crucem
aptè concedendus eſt.
Cum Cruce, ſub Cruce, in Cruce vivere, vera vita eſt.
Signum Crucis erit in cœlo,
cùm Dominus ad judicandum venerit,
affixa ſalus cruci eſt,
tu ſalutem ſinè cruce minimè ſpera.

SEcunda Condignatio in linea recta continebat ſuperiùs Eccleſiam noſtram Minoriticam ad Sanctam Crucem, manu dextra geſſit vivis coloribus aliquis in noſtro Religioſo Habitu depictus, ſedens in quadriga triumphali, & manu ſiniſtra laurum protendens ſuprà quinque Viros ſenes, quinque elapſa ſæcula ſignificantes, & in frontibus litera C. ſignatos, quodlibet C. denotat unam annorum centuriam, conſequenter quinque C. quinque Sæcula; Diriguntur hi viri ſeniô confecti ab uno Infantulo ſextâ literâ C. notato, & initium ſexti Sæculi indigitante, frænúmque manu tenente, cum hac expreſſione:

tenDIt LaVrIgeros per ſæCVLa qVIna trIVMphos,
seXtVM, nosqVe regIt, sIC faCIenDa tegIt.

Litera C. ſexies repetita: C.C.C.C.C.C. poteſt etiam in ſequenti hoc ſenſu venire legenda: Cæſar CAROLUS Conventum Cru-

Crucis Conſtanter Conſervat. Præterea in ſenſu iterum alio ſex literæ C. poſſunt præſignare ſex Romanorum Imperatores nomine CAROLINO inſignitos. Unde à dextris hujus figuræ ſubſiſtunt duo Genij ex utraque parte inſignia Imperialia, Sceptrum ſcilicet, & Gladium portantes medium tenendo Clypeum, in circulo ſunt depictæ quinque Coronæ imperiales Inverſæ cum ſuperpoſita litera C. in medio ſtat Imperatoria Corona erecta, & ſignata litera C. Ipſæ quinque Coronæ inverſæ quinque Cæſares Carolos vitâ functos denotant; Corona verò in medio poſita cum litera C. Auguſtiſſimum Imperatorem noſtrum CAROLUM actualiter demonſtrat regnantem; Infra hunc Clypeum ſcribitur: *Sextus tempore regnat.* A ſiniſtra parte ſtant pariformiter duo Geniorum Simulacra, unus Genius Ramum geſtat palmarum, alter laurum inſignum præſentis glotioſi Sæculi, medium habent Clypeum, in quo quinque jacentes Clepſydræ cum tot annexis literis C. quinque exprimunt Sæcula jam effluxa, denuò ſubſiſtit in medio una Clepſidra actualiter fluens cum litera C. Sæculum actualiter fluens deſignans, infrà hunc Clypeum legitur: *Sextum tempora regit.*

A latere dextro majoris portæ ad Eccleſiam, versùs Domum Provincialem conſpicienda fuir Eccleſia & noſter Conventus parvum ſuper monticulum elevatus, & ſuper quatuor virtutes muliebri Habiu veſtitas fulcitus cum epigraphe:

Stabit.

In ſuprema parte collocata ſtetit fama tubam inflans, & nobis pro ſubſecuturis temporibus conſolationem annuntians hiſcè ſacræ paginæ verbis:

Usque ad conſummationem Sæculi. *Matth. 28.*

Apollo cum ſuis Camœnis vaticinatur de Monte Parnaſſi, & aurea ſæcula nobis promittens decantavit ſequentia:

Stabit tranquillè Clauſtrum per ſæcula mille,
Innumeras horas, & ſinè fine moras.

Præfatas autem quatuor has virtutes figurabant 1mo: Devotio Populorum fumigante cum thuribulo. 2do Pietas Religioſorum cum

S Cruce

Cruce & Rosario. 3tio Largitas Benefactorum cum Marsupio Eleemosynam subministrante. 4to Securitas temporum cum Ramusculo Olivæ:

Securitate Servor,
Beneficiis Benefactorum Conservor,
Pietate Religiosorum Præservor,
& Devotione populi Reservor.

A latere sinistro Domum Provincialem versùs occurrit denuò contemplanda nostra Ecclesia super parvum Collem situata à quatuor ventis de quatuor mundi partibus infestata, videlicet: ab hæresi, ab incendio, à bello, & à vetustate. Non parvam jacturam perpessa est nostra Ecclesia, quæ pro Exercitio Acatholicorum fuit tempore Lutheranismi applicata, ab Incendio partim hic, partim illic in cineres redacta, à bello gravissimè devastata, præsertim à Turca Urbem Viennensem 1683. obsidente, quo tempore præalta nostra turris ex parte superiori unà cum campanis fuit ruinata, Bibliotheca per magnum globum tormentarium concussa; tandem Conventus à Vetustate vel erat collapsus, vel ruinâ obrutus, vel in multis diminutus. Tandem in supremo loco visa fuit fama inflans cum hoc textu:

Non inclinabitur in Sæculum Sæculi Psal. 103.

Prænominati quatuor Venti declarantur per quatuor parvulos cum variis signis expressos, Hæresis pingebatur cum Bireto & collari plicato ad normam & formam Ministellorum; Incendium cum face accensa; Bellum cum Cataphractura & Casside ferrea; Vetustas cum turri ruinam jam jam imminentem minante, addidit Poësis:

Hæresis & ferrum, mars, flamma vetustaque rerum,
non inclinabunt, sæcula plura dabunt.

Absit ut iteratò
Hæresi ruam,
vetustate corruam,
bello obruar,
& Incendio diruar.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Apparatu ante Portam Conventûs ad Aulam Cæsaream prospicientem.

Publicam Conventûs Portam circumdedit triumphale Theatrum in parte dextra LEOPOLDUM Sanctum, in sinistra LEOPOLDUM Gloriosum oculis intuentium exhibens; Prior sigillum cum litteris Obedientialibus gestat cum annotatione: *Patronus Almæ Provinciæ.* Posterior super manum sinistram gerit structuram ædificij cum Inscriptione: *Patronus Ecclesiæ, & Conventûs.* In condignatione superiori subsistunt Imagines Serenissimorum Ducum & Archi-Ducum Austriæ incipiendo à Linea LEOPOLDI Gloriosi per descensum usque àd Augustissimum Romanorum Imperatorem CAROLUM VI. inclusivè, quorum Gloriosa subsequntur nomina: Fridericus bellicosus Filius LEOPOLDI Gloriosi, in quo Familia Ducum Austriæ Babenbergensium desiit, Austriæ Ducatu ad Stemma Habspurgicum translato, cui primus præfuit Rudolphus I. Albertus I. Fridericus pulcher, Albertus II. Fridericus IV. Maximilianus I. Carolus V. Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus I. Mathias I. Ferdinandus II. Ferdinandus III. Leopoldus I. Josephus I. CAROLUS VI. Inter hos tres postremos legendum occurrebat: *Isti sunt Potentes à Sæculo. Genes. 6.* In majori effigie hujus structuræ expressus fuit LEOPOLDUS Gloriosus, qualiter Patribus Minoritis in Austriam adductis in Charta Geographica fundum pro habitatione designat, & locum cingit, ut nostra sedes & commoda erigatur in hac cinctura nostra permanentia, cum Carmine suprà imaginem posito:

CInCta fVIt seDes, DItans InstrVXerat æDes,
nVnC Manet aC stabIt VIVa VIenna DabIt.

Infrà LEOPOLDUM, cujus Gloriosum Nomen manet in Sæcula alium Poëta subjunxit Versum:

Certa DatVr fVnDI nobIs pars hIC sVbeVnDI,
LargVs Is est DonIs hIs CVMVLatqVe bonIs.

Exordior à gloria
à LEOPOLDO hujus nominis Gloriofo,
LEOPOLDUS plantavit,
Archi-Ducatus Auſtriæ rigavit,
DEUS autem Incrementum dedit.
benè fundata eſt Domus Domini ſuprà firmam petram.
Petra autem erat Chriſtus
in Cruce Crucifixus.
à Fortitudine Rudolphi eſt fortificata,
à Juſtitia Alberti nobis adjuſtata,
à Sapientia Friderici inſtructa,
à Liberalitate Maximiliani ditata,
à Conſtantia Caroli quinti roborata,
à Munificentia Ferdinandi locupletata,
à Felicitate Leopoldi honorificata,
à Magnanimitate Joſephi magnificata,
à Zelo CAROLI Sexti in Sextum usque Sæculum
gratioſiſſimè conſervata,
ab Eodem adhuc benigniſſimè conſervanda
usque in Sæculum Sæculi.

A latere dextro fuerunt repræſentati Tres Martyres Oppavienſes ex Ordine Minorum Conventualium, nimirum: P. Petrus Lector Oppaviæ, P. Petrus ibidem Confeſſarius Monialium, & P. Joachimus de Crumlau Concionator Anno 1426. 14. Novembr. ab Huſſitis Kralitij prope Olomucium in palum ligati, & ob Conſtantiam fidei igne concremati.

Nihil

Nihil amor Religionis Seraphicæ recuſat,
promptus ad omnia
Nomen Seraphin ab igne deducitur charitatis,
Vide tres ignitos Seraphinos,
Pater Petrus Lector Oppaviæ,
Pater Petrus ibidem Confeſſarius Sancti-Monialium,
Pater Joachimus Crumlovienſis, Concionator
faciunt trinum in igne perfectum,
Priùs in habitu Cinericeo, erant Cineres
priusquam in igne ùt Aurum probati
Ab Huſſitis igne fuiſſent Kralitij in Moravia
incinerati,
Erant cineres, ſub his igniti carbones
vaporem Huſſiticum
in fumum & in nihilum redigentes.

Suprà hos tres Martyres affixus ſtetit ſequens textus: *In Sæculum Miſericordia ejus. Pſal. 105.*

IaM CLarent DIgnè, qVI fLante VrVntVr ab Igne,
VI MoDò qVIsqVè perIt, Corpore sanCtVs erIt.

Ex latere partis ſiniſtræ fuit explicata hiſtoria de illo Piſtore à diabolo ex noſtra Eccleſia abrepto, & barathro damnationis æternæ injecto. Hic per ſeptennium tempore Paſchali Sacram Confeſſionem, & Communionem intermittens, cum contemptu intendit accedere ad ſumendum Sanctiſſimum, proculdubio, ne hoc delictum perpetret admonitus erat à ſuo Angelo tutelari: AVrIbVs perCIpe Vt sCIas prVDentIaM. *Baruch 3. verſ. 9.* Salubres Eum videbantur dehortatæ fuiſſe Inſpirationes: ECCe IVDeX *ante* IanVaM *aſsIstIt. Jacob. 5. verſ. 10.* Aſt fruſtra, ut præfixam compleret malitiam, ſepties acceſſit, ſeptimâ vice expletâ miſerrimè mortuus in terram corruit, & æternum infelix jacet inter illos, qui ConsVMentVr qVasI stIpVLa arIDItate pLena. *Nahum 1. verſ. 10.* Cruciatur ùt sVsVrro & bILIngVIs MaLeDICtVs.

Eccl. 28. *verſ.* 15. & ſinè fine fateri cogetur: DIDICI IVDICIa IVstItIa tVa. *Pſal.* 118. *verſ.* 7. Unde ſuprà ipſum ſcriptum ſtetit: *Juſtitia ejus manet in Saculum Saculi. Pſal.* 110.

Ceſſet Rhetorica eſſe ars benedicendi,
ſine omni Ironia
maledicat huic maledicto Piſtori,
perditorum perditiſſimus tales expoſuit inferias.
Piſtor erat,
in fornace infernali æternùm pinſendus,
Piſtor erat,
fumo, vapori, & igni aſſuetus,
ab aſſuetis non fit aliàs paſſio,
contrarium experitur eventum,
Ignis in orco eſt intenſiſſimum Agens,
qui egit, agit, & aget in illum
tanquam in paſſum æternò patiendum.
Piſtor erat,
Panem cœli ſepties una die vilipendens,
Paniperda fuit.
à famelicis furiis raptatus, ad tartarum tractus,
& inter dæmones famem patietur ùt canis,
fuge benevole Lector,
& terram quate.

HoC sIgnVM eſt VrbIs, VanesCens aVDIat orbIs,
IVstè fLagra LVIt, CorpVs aD IMa rVIt.

PRo Complemento hujus Fabricæ in diametrali linea ſuperiori apparebat omnium Conſpectui Atlas Auſtriacus circà collum aureo vellere circumdatus, & cum ſtructura non minùs Eccleſiæ, quàm Conventûs ſuprà dorſum oneratus, hanc ſuprà ſe præſetulit ſcripturam ter-

tergus Atlantis habet, ex Ovidio. Infrà se: *quam fundavit in Sæcula, Psalm 77.* à dextris adjuvatur Atlas in sufferendo hoc ædificio ab Elisabetha Romanorum Regina Jacobi Regis Arragoniæ Filia, Friderici Romanorum Regis Consorte, utpote speciali Benefactrice nostræ Ecclesiæ; A sinistris sustentatur Brachium Atlantis à Blanca Philippi III. Regis Galliarum Filia, & Rudolphi III. Archiducis Austriæ Conjuge, singulari etiam Patrona & Conventûs, & Ecclesiæ;

HAbes nunc benevole Lector, compendiosum Almæ nostræ Provinciæ Austriacæ statum in verbo abbreviato contractum, & quasì Homeri Iliadem in nuce inclusam, in illius nomine finio, qui omni caret fine, Opusculum hoc non in finem oblivio erit pauperis nostræ Provinciæ, sed vivit ille DEUS, qui memor sit tui, Unde memor esto Domine congregationis tuæ, quam possedisti à quinque Sæculis; Finis aliàs si coronat Opus, benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & scuto bonæ voluntatis tuæ corona nos Domine. Interim Fratres Charissimi in hoc quingentesimo exoptatissimi Jubilæi recursu Jubilemus DEO Salutari nostro, si meritò censendus est beatus ille populus, qui scit jubilationem, jubilemus DEO in Voce exultationis, laudate Eum in Cymbalis benesonantibus, laudate Eum in Cymbalis Jubilationis, omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis populus dicat Amen. Benedictus DEUS, & Pater Domini nostri JESU Christi, Pater Misericordiarum, & DEUS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, Consolatus est & Provinciam nostram in hoc imminente Jubilæo; Itaque jubilate DEO omnis terra, & cum Apostolo referat gratias DEO super enarrabili Dono ejus, luxit hucusque in Austria Sacra Religio nostra per quinque Sæcula, quæ quinque Sæcula erant quinque lampades plenæ oleo, & igne charitatis tum ergà DEUM, tum ergà proximum inextinguibiliter lucentes. Agamus DEO gratias, & Immaculatæ ejusdem Virgineæ Matr Singularissimæ Ordinis nostri Protectrici. Nomen MARIA quinque signatur literis, nomina pretiosorum lapidum exprimentibus: M. *Magnetem.* A. *Adamantem.* R. *Rubinum.* I. *Iaspidem.* A *Amethystum.* Victoriam de interfecto Goliath retulit David in quinque

lapidi-

lapidibus, elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, quinque Sæcula sunt quinque isti lapides durissimi, propter injurias temporum, bellorum tumultus, & insultus hæresum; erant profectò concoquendi lapides durissimi, quia autem adepti sumus palmam Victoriæ, ideò sæcularem canimus triumphum. Agamus DEO gratias, & Seraphico Patriarchæ S. Francisco, cujus quinque Sacratissima Stigmata quinario non incongruê correspondent sæculo, & sunt quinque talenta non defossa in terram, sed impressa in carnem Beatissimi Patris nostri fructum centuplum adferentia. Agamus DEO gratias & SS. Domino nostro Benedicto XIII Pontifici maximo, sit Nomen ejus benedictum in sæcula, qui Sæculo nostro quinto subveniens Benedictus in Nomine Domini plenarias per octiduum hujus Jubilæi pro utriusque sexûs hominibus concessit Indulgentias, DEUS benedixit Domui Israël, benedixit Domui Aaron, benedixit Domui Jacob, Benedictus iste benedixit Domui nostræ, ideò sit super nos, & populum suum benedictio sua. Agamus DEO gratias, & Augustissimo Imperatori nostro CAROLO Sexto à quinto Sæculo nos sextum ingredientes Sæculum gratiosissimè conservaturo; De quinque panibus satiavit Christus multa millia hominum, per quinque Sæcula panem comedimus illum, quem nobis Augustissimæ Cæsareæ Majestates gratiosissimè Viennæ favebant, parvuli, Fratres Minores petierunt panem, & erat, qui frangeret eis, & adhuc franget Pater Panis CAROLUS VI.

Cui in dulci Jubilo unanimi voto acclamamus *1. Machab. 3. Sit in Sæculum memoria ejus. Matth. 28. Usque in Consumationem Sæculi. Apoc. 1. & in Sæcula Sæculorum Amen.*

Librum hunc: (Cui Titulus Sæculum Quintum &c.) à Venerabili Conventu Viennensi S. Ordinis Convent. S. *Francisci Seraphici conscriptum, cùm tam fidei Orthodoxæ, quàm bonis moribus non adversetur, Typis mandari posse, præsentibus Attestor.*

J. S. K. Infu. Abbas ad B. M. V. Boccon. Vic. General. Officialis & Canon. Neostad.

F I N I S.

